



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

1

M. ANTONII

MAIORA.

GII

DECISIONES

XXV.

*Quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus
Celij Calcagnini criminationibus liberat.*

*joann: Anno: ferrarius M. Anno: M.
s Decisiones possido*

VIRTYE DVCE,




COMITE FORTVNA.



LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,
1544.

etri E. a
à Later

on.



3
A M P L I S S I M A T

Q V E I L L V S T R I S S,

V I R O,

F R A N C I S C O S F R O N

dato, Senatori, & Consiliario Cæsaris

clarissimo, M. Antonius

Maioragus

S. P. D.



I D E quàm mihi persuase-
rim, tibi grata esse, quæ facio
omnia: & ea præcipuè, quæ
ad mansuetiores Musas per-
tinent, quibus tu mirificè dele-
ctaris, ut ceteras tuas eximias
ac propè diuinas uirtutes, hæc
una laus maiorem in modum

exornare uideatur. Accesseram nuper in forum, quò mi-
hi rarissimè per occupationes meas licet accedere: cum
iuuenis quidam ex his, qui me publicè profitentem au-
diunt familiaris, ac necessarius meus, mihi libellum attu-
lit, quem nunquam antea uideram, in quo mira quedam
se legisse dicebat, & ante eum diem inaudita: nempe Ci-
ceronem in Officijs quinq; & uiginti locis à Cælio Cal-
cagnino notatum, & reprehensum. Ego qui Ciceronem
ab ineunte adolescentia semper feci plurimi, & eum cæ-
tera ferè omnia, tum illud præsertim opus de Officijs le-
gendo & interpretando penè contriui, coepi ridere Mo-
mi illius insaniam, qui in tam eleganti & uenusto corpo-
re speraret aliquid inuenire se posse, quod iustè repræ-

4 2 bend

4
benderet. Sed tamen ea mihi legenda quæ notauerat existimaui, ut siquid esset argutè dictū, atq; ingeniose excogitatum, laudare hominis acumen & ingenium, temeritatem improbarem. Non enim mihi persuadere poteram, in tam præclaro opere reprehensione dignum quicquam inueniri: nec fas esse ducebam, hanc maculam in Ciceroniano nomine diutius insidere, atque inueterare. Quamobrem eo animo derepente libellum arripui, ut ab iniusta (si fieri posset) accusatione patrem eloquætiæ liberarem. Quod certè Musis approbantibus satis feliciter effecisse mihi uideor. Nam quamuis essent multa tam ingeniosè, atq; acutè excogitata, ut non tantū probabilia, sed etiam uera uiderentur, eis præsertim, qui Dialecticis imbuti non sunt: ego tamen omnia tam facile defendi, & rectissime dicta probaui, ut à nemine sit amplius dubitandum. Quam lucubratiunculam meam tibi dicendam esse censi: uel quòd te semper Ciceroniani nominis amatorem & studiosum fuisse cognoui, ut tibi gratissima hæc sedulitas mea sit futura: uel quòd ego neminem habeo, quem magis quàm te sperem aliquando studiorum meorum fautorem atque amplificatorem fore. Nam ex quo die te cognoui, semper erga me magnopere propensam atque inclinatam uoluntatem tuam animaduerti. Quam spem & cogitationem de te meam auxit uir clarissimus Franciscus Crassus: qui cum non ita pridem Mediolanum reuertisset, ab ea Senarum administratione, in qua tantam dignitatem & gloriam consecutus est: de animo tuo, & de sermonibus, quos de me frequenter haberes, mihi narrauit. Maxime uerò confirmatus sum, postquam tu Mediolanum proximè reuersus, me tam humaniter excepisti, cum ad te uenissem salutandum, & tam familiariter
mec

5
mecum sermones contulisti. Itaque sim ingratiſſimus, niſi
te ſupra mortales omnes colam, atq; obſeruem, cum præ-
fertim tantæ ſint ingenij tui ſuauitates, tantæ dotes, de
quibus dabitur aliquando mihi copioſe tractandi ſacul-
tas. eſt enim magnus laudum tuarum campus, in quo exul-
tare facile poſſit oratio. Nunc à te quaero ut attentè bo-
naq; cum uenia Decisiones has meas, quibus Ciceronem à
Calcagnini criminibus liberaui, perlegas: quæ (ut ſpero
ac opto) tibi gratæ erunt, ac iucundæ. Vale. Ex ædibus
noſtris VIII. Idus Iul. M. D. XLIII.

P R A E F A T I O
A D L E C T O -
R E S.



T S I mihi non dubium eſt, quin
ijs omnibus, qui Cicerone duce ſpe-
rant aliquando ſummm eloquen-
tiæ ſaſtigium attingere, iam pridem
ſit ita perſuaſum, M. Tullium Ci-
ceronem in omni doctriinæ genere
tantum excelluiſſe, ut poſt homines
natos nullus unquam fuerit apud Latinos, qui, non dicam
cum eo certare, ſed ne quidem eius ueſtigia longo inter-
uallo premere potuiſſe uideatur. Tamen cum uideam hoc
tempore, quo liberaliſſimarum artium ſtudia maximè ui-
gent, nonnullorum hominum ineptiſſimorum tantam eſſe
audaciam, ut procaci lingua ſua diuini oratoris manes
uexare, & infectari non dubitent: facere non potui, quin
hanc cauſam tam grauem, tam illuſtrem, tam honeſtam ſu-
ſciperem; ut à maledicis conuiciatoribus Ciceronis auto-

6
ritatem defenderem. Nihil enim uideo in quo possim ego, aut utilius in hac ætate mea iuuenili styllum exercere, aut bonarum literarum amatoribus magis gratificari, aut denique facilius laudem aliquam & gloriam, quam optimus quisq; expetit, mihi parare, quàm si resellendis maledicorum criminationibus, omnis eloquentiæ parentem Ciceronem iniquissimè doceam accusari. Etenim si Cælius Calcagninus, uir alicuius in literis nominis, qui cum mihi primo congredi certum est, & alij nonnulli magnæ sibi laudi futurum & gloriæ sperarunt, si contra Ciceronem aliquid uerisimile possent excogitare: quantò mihi gloriosius, ac laudabilius erit, si rectè patrociniatus ei fuero, quem omnes, dum uiueret, sibi patronum adesse cupiebant? At dicet fortasse quispiam, Quis tu es? aut unde tibi tantum uirium, ut hoc oneris aut facile subire solus, aut commodè sustinere possis? Ego uerò si eius auctoris, quem defendo, dignitas atq; amplitudo spectetur, fateor huic causæ me non idoneum patronum existere. Quis enim rectè possit Ciceronis excellentiam ac laudes enarrare, nisi si iterum ipse reuiuiscat Cicero? Sed si quis causæ facilitatem spectare uoluerit, intelliget profectò non modò me, qui iam longo studio ac labore nonnullos in disciplinis progressus feci: sed quemlibet penè dicam imperitum hominem, qui primoribus (ut aiunt) labris literas degustarit, hanc causam defendere, ac tueri posse: cum præsertim innumerabiles penè aduocatos, qui Ciceroni faueant, atque infinitos sententiæ meæ subscriptores sine dubio sim habiturus. Nam quis hoc tempore Ciceronem non diligit? quis non admiratur? quis non omni ratione defendendum putat? Huc accedit id, quod maximum est, & in omni causa semper plurimum ualuit: nam ea quæ
Cicer

2.
Ciceroni obijciuntur, tametsi argui suspiciose possunt, ta-
men omnino falsa sunt omnia. ut non uerear, quin facile
submotis falsitatis tenebris ipsa per se ueritas elucescat.
Illud prætere a mihi non mediocre calear addidit ad hanc
prouinciam suscipiendam, quod animaduerti paucos ad-
modum aduersarios esse, eos que leues ac fugaces, ut non
hostes legitimi, sed sicarij potius, ac prædones esse ui-
deantur, qui non cominus certare audeant, sed ex insidijs
aggredi, & uibrato iaculo Parthorum more fugere so-
leant. Verum hoc tempore certum est, eos prætermitte-
re, qui non tam audaces ac temerarij fuerunt, timideq; ac
paucis Ciceronem accusarunt. Vnus mihi omnium auda-
cissimus Cælius Calcagninus arripiendus est, cuius male-
dictis respondeam, quem insecter, cuius imperitiam no-
tam omnibus efficiam, quem eruditus uiris deridendum
propinem. Hic enim in uno de Officijs opere, quinque &
uiginti locis Ciceronem annotauit: Sed ita, (ut paulo post
apertè declarabo) ut pleraq; eorum, quæ tanquam erra-
ta reprehendit, ipse non intelligat. Huius igitur homi-
nis loquacitatem, honestis ac ueris rationibus reprimen-
dam esse censui: ne fortè cæteri eiusdem generis litera-
tores, audaciores ad detrahendum bonis autoribus fie-
rent, si tantam hic impune petulantiam tulisset. Quam
quidem meam operam, ac laborem, spero bonis omnibus
gratissimam ac iucundissimam futuram: uobisq; in pri-
mis, qui tantum iam profecistis in literis, ut admirabilem,
ac diuinam Ciceronis intelligentiam et doctrinam agno-
scatis. Illud enim mihi persuasum est, non posse Cicero-
nem ab eis non uehementer amari, qui singulares eius
uirtutes intelligunt. Vos igitur omnes Ciceroniani nomi-
nis amatores mihi patronos ac defensores paro. Vos ex-
plor

ploratum habeo, nullo unquam tempore mihi defuturos, uestra fide sapientia que fretus hoc onus sustuli. quod si uos aliqua ex parte alleuabitis, erit omnino mihi leue & gloriosum. neq; dubito quin unusquisq; uestrum libētissime cause mee patrocinator sit. Ergo quicūq; estis ubique, quibus ualde placet Cicero, decisiones has meas uobis approbandas ac defendēdas existimate. Ex hoc fore hunc numero quem ego mortaliū omnium plurimi facio diuinum hominē Sfrondatū certō scio. qui cum reū praeclarissime gestarū gloria tantum excellat, ut Carolo quinto Imperatori semper Augusto, & utilissimus & gratissimus sit: tamen bonis literis adeo mirifice delectatur, ut nemo propius ad uenerandam illam, M. Tullij maiestātē, uel dicendo, uel scribendo uideatur accedere. Ex hoc numero modestissimus et clarissimus uir Franciscus Crassus, Senator: cuius ab ore melle dulciore fluere sonū his auribus audiui, quo tempore in sano religiosissimo Mediolani summa cum audientium omnium admiratione coram Cesare grauissimam illam & splendidissimam orationē habuit. Ex hoc Alciatus noster, totius orbis decus, qui cum Iuris prudētia ceteris omnibus antecellat, tum uerō eloquētia tanta est, ut ad eum audiendum undiq; populi confluant, ac nationes: multi praeter ea ex agro nostro Mediolanensi, quos hoc tempore, ne nimis longa sumatur oratio, praetermittam. Quot deinde in ceteris Italiae partibus? quot in Gallia? quot in Germania? quot in Hispania reperiuntur, qui Ciceronis amantiissimi sunt, ac studiosissimi? His igitur omnibus non solum gratam & iucundam, sed etiam patrociniō suo dignam uisum iri diligentiam meam certum habeo. Quare age tanto uallati praesidio, iam tandem firmo, & constanti animo Calcagninū istum aggrediamur.

M. A N T

M. ANTONII
 MAIORAGII DE-
 CISIONES VI-
 GINTI QVIN-
 QVE,

*Quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus
 Calij Calcagnini criminationibus liberat.*



I TE magnam dicen-
 di facultatem studio &
 disciplina comparatam
 habere uiderem Cal-
 cagnine, ut eleganti
 uerborum splendore,
 & sententiarum gra-
 uitate, locutione exor-
 nare, & Ciceronianam
 dicendi maiestatem a-
 liqua ex parte referre
 uidereris: omnino te ingrati animi, atq; ipsa malitia ieiu-
 ni, accusandum ac damnandum esse censerem, quod eum
 eloquentiae magistrum, & suauissimae dictionis artifi-
 cem, per quem egregie profecisses, tam perfidiosè ac nefa-
 riè sine causa uituperandum atque insimulandum igno-
 rantiae nomine suscepisses. Erumpet enim ex me uera
 uox, & dicam aperte quod sentio, ut uolet quisque acci-
 piat. Ego non aliunde iudico, quàm ab uno Cicerone,
 Latini sermonis candorem atque elegantiam comparari
 posse. Sed cum à Romanae dictionis proprietate, & casti-

querendi genus tuum tam alienum esse uideam, ut
 quæcumque quis autorem, quàm eum in quo tota
 res sit experta est eloquentia, legisse uidearis: non
 tam te ingrati animi, sed temeritatis, & audaciæ potius
 condemnandum esse iudico. Nam quid magis audax, aut
 temerarium esse potest, quàm te hominem uulgaris, ut res
 ipsa declarat, eruditionis de Cicerone iudicium ferre uo-
 luisset: cuius admirabilem eloquentiam, incredibilem sci-
 entiam, diuinam intelligentiam ne primoribus quidem
 (ut dici solet) labris degustaris? Poterat te sanè consen-
 sus omnium eruditorum uno ore Ciceronem approban-
 tium ab improbitate tanta reuocare: poterat te reuocare
 de Ciceronis eminentissima scientia, singulari iudicio, ad-
 mirabili rerum omnium cognitione, confirmata tot iam
 seculis opinio. Sed nimirum immoderata quædam atque
 inanis aucupanda gloriæ cupiditas, quæ sæpenumero sa-
 pientiores etiam homines facile transuersos rapit, tuum
 pectus titillauit. Credebas enim (ut opinor) futurum, ut
 per hanc improbandi tam egregij auctoris occasionem,
 nomen tuum disseminaretur in orbis terræ memoriam
 sempiternam. Verùm ista tua tam effrænata gloriæ cupi-
 ditas te omnino frustrata est. Nam siquid apud eruditos
 homines, quæ semper plurimum potuit, hoc etiam tem-
 pore ueritas potest, efficiam profectò hodie, ut omnes in-
 telligant, te nullum penitus in ijs rebus, in quibus Cice-
 ronem accusas, habuisse iudicium. At etiam, si Dijs pla-
 cet, Albertum nescio quem, uirum credo bonum & eru-
 ditum, tibi patronum ac defensorem paras: perinde quasi
 possit aliquis diutius tueri falsitatem, ac non ipsa per se
 ueritas elucescat: aut si Albertus ille tuus aliqua polleat
 eruditione, non sit unà mecum temeritatem tuam impro-
 batur

baturus. Nam quantò rectius à te factum esset, si quæ fortasse non intelligebas, aut de quibus aliquo modo dubitabas, ea cum Ciceronianæ Philosophiæ studiosis aliquibus communicasses? Facile est damnare quæ non intelligimus: sed hæc imperitorum consuetudo. Turpe est autem homini literato tam facile contra iam omnium consensu probatos autores, et tam temerè uerba facere. Nam è duobus alterù omnino necesse est, ut aut ceteros omnes, qui iam pridem in manibus opera Ciceronis habuerunt, imperitiæ condemnes, quòd hos (ut tu appellas) errores non aduerterint. Te uerò unum scilicet omnium ingeniosissimum, et perspicacissimum credas, qui tanquam Lynceus quidam ea uideas, quæ ceteri nunquam uidere potuerunt: aut si ceteri nonnihil erroris subesse cognouerunt, neq; tamen improbarunt, te omnium audacissimum profitearis. Quod utrunq; sanè et uitiosissimum est, et intolerabilis arrogantia. Omnino uel huius, uel illius uitij culpam subire tibi necesse est. Vtrum mauis elige. Quamuis ego te et accusandum, et damnandum utroq; crimine statuo. Primò, quia tantam tibi scientiæ persuasionem inducis, ut omnium iudicio tuum iudicium anteponas: quòd summæ est arrogantia. Deinde, quia totius eloquentiæ parentem nefariè ac parricidiosè, sine causa laceras: quòd incredibilis est audaciæ. Sed iam ad Disquisitiones tuas ueniamus, et singulatim omnes diligentissimè perpendamus, atq; examinemus, ut notum fiat omnibus, quàm insulsæ atq; inuita Minerua Ciceronis propugnatrice ac patrona diuinum hoc opus de Officijs carpando, Deum oratorum imperitiæ condemnare uolueris.

Primò tibi titulus (ut ais) non satisficit: Magna uerò causa, quæ te ad suscipiendum cum Cicero certamen

tamen impulerit, quòd tibi titulus non satisfaciat. At plurimum & ingeniosissimis & eruditissimis uiris, qui ante te fuerunt, satisfecit: quorum nemo fuit unquam, qui hanc inscriptionem improbaret: nisi fortè Plinio te præferendum existimas, qui in præfatione Naturalis historię titulũ hunc agnoscit, cum Ciceronẽ de Officijs Panætium secutũ fuisse scribit. Quæ uolumina (inquit) eius ediscenda, non modò in manibus habenda quotidie nostri. Ecce quantopere Plinius hoc opus de Officijs commẽdat, quod tu quodam in loco, in istis disquisitionibus tuis, tanquam sterile, ieiunum, & mutilum uituperas. Sed fuerint sanè cæci tot summi uiri, qui & nostra & maiorum nostrorum memoria floruerunt: non aduerterint hunc Ciceronis (ut tu credis) errorem. Vidcamus quid tu, uidelicet uir ingeniosus, & Ciceronianorũ operum Aristarchus sentias. Profer in medium, quæso, rationes istas, quibus hanc de Officijs inscriptionem uituperes. Plenius, inquis, atq; uberius de Officio, existimasset: sicuti & Panætius inscripsit, $\pi\alpha\pi\iota\ \tau\acute{\iota}\ \kappa\alpha\theta\eta\sigma\tau\omicron\upsilon\beta\omicron\varsigma$. En causam quare à Calcagnino nescio quo parens eloquentiæ Romanæ Cicero reprehendatur. Reuocas igitur nos omnes Ciceronis studiosos ad sententiam tuam? & postulas, ut tibi tanquam Apollini cuiusdam Delphico credamus, plenius atq; uberius de Officio esse, quàm de Officijs? Sed de hoc paulo post: illud nunc à te peto, unde Panætij libros ipse habueris, ex quibus intelligeres, eos de Officio, non de Officijs esse inscriptos? Equidem existimo, nullum hoc tempore Panætij scriptum extare, sed legeris apud aliquem autorem titulum hunc: Sic enim ad Atticum scribit Cicero: Nos hic $\phi\iota\lambda\sigma\phi\omega\upsilon\mu\epsilon\theta\alpha$, quid enim aliud? & $\tau\acute{\iota}\ \pi\alpha\pi\iota\ \tau\acute{\iota}\ \kappa\alpha\theta\eta\sigma\tau\omicron\upsilon\beta\omicron\varsigma$ magnificè explicamus $\pi\epsilon\sigma\alpha\phi\omega\upsilon\mu\epsilon\theta\alpha$ que Ciceroni, qua de re enim

enim

enim potius pater filio? Inscripterit etiam ita Panætius suum opus, (uide quid tibi largiar, quod si negem, probare non possis) num iccirco necesse fuit Ciceroni uerbum è uerbo reddere? cum præsertim fateatur ipsemet, se Stoicos in hoc opere potissimum sequi, non ut interpretem, sed ut solemus (inquit) è fontibus eorum iudicio arbitrioq; nostro, quantum quoq; modò uidebitur hauriemus. Vult igitur uti iudicio, arbitrio que suo Cicero, non Panætium in omnibus sequi: neq; fuit ea causa mutandi tituli, quam tu frigidè sanè, atque ineptè obijcis, ut à Panætio uariaret. Sed quoniam utriusque linguæ peritissimus fuit, & hanc inscriptionem, ut est, ita meliorem, ac magis propriam existimauit: quod ipse scribens ad Atticum in quadam epistola docet his uerbis: Quod de inscriptione quæris, non dubito quin τὸ κἀδύναρον Officium sit, nisi quid tu aliter: sed inscriptio plenior, de Officijs. Nam quæ fuisset Ciceronis amèti a cum intelligeret, ut tu uis, melius esse, de Officio, quàm de Officijs, librum suum inscribere, si maluisset errare, quàm cum Panætio bene sentire? Sed tu nimirum cum nugatoriam causam susceperis, mauius sine ratione garrire, quàm prudenter tacere. Non enim linguarum proprietates intelligere uideris: nam eleganter sanè Græcè dicitur, πᾶσι τῶν κἀδύναρων, quod si quis per maiorem numerum enuntiet hoc modo, πᾶσι τῶν κἀδύναρόντων, priorem illam uenustatem amittat. Contra titulum istum tuum de Officio, uix Latine aures patiuntur: nisi fortasse aliquid addatur aliud, quod ad propriam aliquam artem pertineat: ut, de Imperatoris officio, de officio Medici: quibus tu exemplis, mentis nostre aciem præstringere conaris. perinde quasi sit idem, de officio Imperatoris: & de Officio, simpliciter. Quòd si

si Dialecticis imbutus esses, non ita certè te ipsum atq; imperitos homines deciperes. Plurimum enim interest (ut in Elenchis docet Aristoteles) cum additione aliquid proferre, atque illud idem sine additione. Sed hæc relinquamus, quæ tu fortasse non intelligis. Illud uideamus: quod ais, nonnulla esse uerba, quæ in numero unius uberius quid significant, quàm in numero multitudinis: in quorum numero nos Officium non ponimus. Nam quàm ridicula est hæc apud intelligentes argumentatio? Nonnulla sunt nomina, quæ cum singulari numero præferuntur, plenius significatum habent, quàm si eadem illa per numerum communem enunties: ergo Officium est huiusmodi. Hoc enim quod concludis, te probare oportebat, quod non facis. Vbi quæso reperisti, plus esse Officium, quàm Officia? Sed addis aliud non minus ineptum, nec minus ridiculum enthymema, quod ita conformari potest: Melius est inscribere Geographicos libros de situ Terræ, quàm Terrarum: ergo Cicero libros suos de Officio, non de Officijs appellare debuit. Nihil ne te pudet hominem (ut audiui) peritum, & magni nominis, ita argumentari? Vbi est acumen tuum? Hæc ne tibi uidentur esse consuetaria? non hercle magis, quàm si quis ita colligat, Mundus providentia regitur, ergo respirant sub aqua pisces. At tu tibi places ea (ut ita dicam) obratiocinatione, audesq; titulum etiam de Finibus bonorum & malorum reprehendere, quem Zeno $\nu\phi\lambda\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ commodius, ut tu existimas, apposuerat: arguisq; mutatum esse à Cicerone. Sed dic mihi, num in libris de Finibus bonorum & malorum, ita Zenonem imitatur Cicero, sicut de Officijs Panætium? Qui potest (inquis) cum in eis omnium serè Philosophorum sententias de finibus perscrutetur? Cur igitur eum

titul

titulum ad hanc censuram reuocas, cum longè sit diuersa ratio? quasi uerò de uno tantum sine locutus sit, ac non collegerit, quicquid ab antiquis Philosophis super ea re dictum fuerat. Inscriptur igitur bene Zeno, qui unicum beatæ uitæ finem, nempe Honestatem statuebat: num ideo coges exemplo Zenonis Ciceronem de Fine boni & mali libros suos inscribere, in quibus Philosophorum penè omnium opiniones prosequitur? Sed ad priorem questionem reuertamur. Dico rectissimè de Officijs, hoc opus inscriptum esse: pessimè fieri, si de Officio, quemadmodum tu uis, inscribatur. Nam si de arte aliqua speciatim tractaret, aut de aliquo ordine, melius fortasse de Officio, quàm de Officijs inscripsisset: ut de Consulis Officio, de Prætoris Officio, atq; ita de reliquis. Sed cum omnem artem, omnem ætatem, omnem ordinem, omne deniq; genus hominum his libris comprehenderit, & officij sui singulos admonuerit, necesse fuit, ut si Latine loqui uolebat, de Officijs, non de Officio titulum apponeret. Nulla fuit ergo causa, cur inscriptionem hanc dannares: nisi quia sperasti, quemadmodum initio diximus, per hanc occasionem fieri posse, ut uulgo innotesceres, si de Ciceronis fama detraxisses. Non enim te fugiebat (ut arbitrator) hos serè libros, in quibus de moribus tractatur, apud bonos autores & Latinos, & Græcos numeri maioris inscriptionem habere. Sic Plato, cum libros suos, de Republica posset inscribere, πῶς πολιτείας: maluit tamen πῶς πολιτείας. Sic Aristoteles non ἠδίκησ, sed ἠδικῶν, neq; πολιτικῶν, sed πολιτικῶν inscripsit. Quæ cum ita sint, nescio quæ te tanta maledicendi cupiditas obcæcarit, ut hæc tam aperta non uideres. Sed iam ad reliquas disquisitiones tuas ueniamus.

Miras

11

Miratur à Pauetio prætermiffam esse officij definitionem Cicero, nec iniuria: neq; enim aliter potest intelligi, quid sit id, de quo disputetur, nisi definitio statim adhibeatur. Sed tibi non uidetur id ipse præstitisse: atq; ut ex uerbis tuis colligi potest, putas Ciceronem aut nesciuisse, quid esset Definitio, aut per negligentiam definitionem officij prætermiffisse. Nam protinus (inquis) officij diuisionem, non definitionem aggreditur. Addis præterea multa, quæ nihil ad disquisitionem tuam faciant: citas loca Platonis & Quintiliani extra propositum, ut aliquid sapere uidearis. Sed antequam doceo rectissime definitum à Cicerone fuisse Officium, te uerò nihil aliud quàm imperitiam ostentare, resellam id, quod ad priorem etiam quæstionem pertinet. Verba Ciceronis sunt: Omnis de officio duplex est quæstio. & paulo post: Atq; alia diuisio est officij. ubi tu obseruandum esse censes, Ciceronem ueritate coactum de Officio, non autem de Officijs quæstionem proposuisse, & Officium singulari numero, non autem plurali (ut grammatici uocant) usurpasse. Quo in loco Parthos imitari uideris, qui etiam fugientes spicula retrorsum torquent: ut cum te uicisse putes, tunc tibi maximè pugnandum sit. Sed heus tu bone uir, ubi unquam inuenisti uerbum aliquod per maiorem numerum definiri? nescis definitionem esse singularium? ut si Geometra de Lineis loquendum sit, & uti definitione uelit, non quæret, quid sint Lineæ; sed ita proponet, quemadmodum Euclides: $\rho\alpha\upsilon\upsilon\delta\ \epsilon\sigma\ \mu\acute{\iota}\kappa\theta\ \acute{\alpha}\pi\lambda\epsilon\iota\varsigma$, id est, Linea longitudo est sine latitudine. Eodem modo, si de literis, aut accentibus Grammaticus aliquis uerba sit factururus, non quæret, quid sint Literæ, aut quid sint Accentus: sed ita definit, quemadmodum Priscianus, Litera est pars

minimè

minima uocis compositæ. Accentus est certa lex, & regula, ad eleuandam et deprimendam syllabam uniuscuiusq; particulæ orationis. Quid mirum igitur, si loquendi consuetudinē secutus Cicero, cum esset ei definiendum Officium, singularem numerum usurparit? Sic enim etiam ille præstantissimus Philosophorū Aristoteles, cum opus suum de tuenda re familiari sic inscripisset, καὶ τῶν δικονομικῶν, à singulari tamen numero incipiens, ita proponit: ἢ διχονομία, καὶ πολλὰ διαφέρει. Quare uides te frustra spicula retorsisse. At obijcis, Officium à Cicerone non definiri. Iam igitur hoc agamus, Vtrum putas hoc à Cicerone per ignorantiam esse commissum, an per negligentiam? Atqui non erat ignarus in hoc genere, te iudice ac teste, Cicero: quippe qui definiendi rationem in Topicis doctissimè tradiderit: quod opus si tu diligenter perlegisses, nunquam tam imperitè Ciceronem accusasses. Hunc enim locum per ea quæ docet in Topicis facile potuisses intelligere. Superest, ut dicas eum negligentè fuisse. Verum unde ista Ciceroni negligentia? an quia sit oblitus definitionis? aut eum piguerit addere, aut noluerit? Si dixeris, oblitum fuisse: ridiculum te putabimus: cum ibidem paulo antè proponat, se uelle definire quid sit Officium, & præterea maximæ memoriæ Cicero fuisse dicatur. Si piguit addere, cur reliqua scripsit? cur non totum potius opus suppressit, quàm mutilum & mancum emitteret? At noluit definire, Imò uerò uoluit, & rectissimè definiuit. Sed tu definiendi rationem ac modos non didicisti. Disce igitur, si potes, hoc tēpore quod hætenus ignorasti, Definire idem esse aliquando, quod distinguere, & diuidere: Diuisionemq; omnem rectè appellari etiam definitionem, siquidem Definire nihil aliud est, quàm sin-

Definire.

b gula

gula intra fines suos redigere, quod per diuisionem commodissime fieri solet: atq; ideo dicebat Antipater in primo de definitionibus, Definitionem esse orationem, per resolutionem perfecte enuntiatam: autor Diogenes Laërtius in uita Zenonis Cittiei. Quare cum officium hoc loco resoluit, ac diuidit Cicero, ita ut unicuique parti, seu formæ, suum finem assignet: quis non intelligit, eum definire? hoc est, intra fines suos officium redigere? Omnis (inquit) de Officio duplex est questio: unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum: (Ecce una definitio) alterum, quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus uitæ confirmari possit. (ecce altera.) Atq; ita sequitur diuidendo, ac definiendo, usq; ad eum locum, Triplex est igitur (ut Panætio uidetur) consilij capiendi deliberatio. Hoc enim uerbum Definire, apud Latinos idem est quod terminare, & circumscribere, & quasi fines statuere, intra quos rei alicuius propriæ contineantur potestates: quod tunc maxime fit, cum omnes diuisionis partes comprehendimus, ut tertio de Oratore Crassus apud Ciceronem tradit, Omnem causam, uel controuersiam, tribus definiri, Lite, aut Deliberatione, aut Laudatione. Scimus autem hanc esse causarum diuisionem in Iudicialem, Deliberatiuam & Demonstratiuam. idem est igitur apud nos Definiri, quod Diuidi, quamuis alia quadam ratione. Eodem modo docet hoc loco Cicero, omne officium duplici questione definiri. Atq; ita intelligendum est quod superius dixit: Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: id est, à terminorum circumscriptione, & declaratione, quot modis id accipi possit, de quo disputetur. ut etiam primo de Oratore, Nullis ut terminis circumscribat, aut definiat ius suum:

suum: id est, declaret quot in rebus ius suum constitutum sit. Quod etiam obseruare Dialectici solent, ut nunquam propriam definitionem addant, nisi prius explicuerint omnes uocabuli significationes: ut si de Genere tractandum sit, primò triplicem Generis quæstionē proponunt: nam & multitudinem ab uno descendentem Genus esse dicunt, & ipsius multitudinis principium, & id cui supponitur Species. Deinde quoniam de hoc ultimo genere tractant Philosophi, id solum suis proprietatibus circumscribunt, ac definiunt. Erit igitur apud Latinos duplex Definitio: altera Cōmunis, quæ Distinctio etiam appellatur, & Diuisio, et est ambiguae significationis explanatio: altera Propria, quæ genere constat ac differentijs, & rei naturam explicat, quid sit. Priore illa definitione utitur hoc loco Cicero, cum ita proponit, Omnis de Officio duplex est quæstio. Secunda paulò post, cum ait: Medium officium id esse, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Sed differt (inquis) à definitione diuisio. Sit ita sanè, modò sit ea tantum differentia, quæ inter genus & speciem esse solet. Definitio enim tanquam genus est, Diuisio tanquam species: ut paulo post ostendam. Nunc à te quero, quo autore dicas illud, Nec ad definitionem accersenda est diuisio, nisi fortè in æquiuocis, ne in Sophistarū laqueos incidamus. Ergo in nominibus unius significationis definiendis, te uidelicet præceptore, nihil proderit diuisio? Quorsum igitur attinuit, Dialecticos quandam ex partibus aut formis definitionem assignasse? quæ certè sine diuisione fieri non potest: ut si quis iuris ciuilis definitionem ex partibus sumat hoc modo: Ius ciuile est, quod in legibus, Senatusconsultis, rebus iudicatis, iuris peritorum autoritate, edictis magistratum, more, equi-

b a nte

tate consistit. Hæc est definitio partitionis, cum tamen Ius civile non sit ambiguae significationis, uel (ut Logici dicunt) æquiuocum. Est etiam diuisionis definitio hoc modo: Ab alienatio est eius rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt. Sed ut hanc quæstionem expediam, dico ex Ciceronis sententiâ in Topicis, Diuisionem esse definitioni attributam, ut sit eius ueluti species quædam. Species autem, siue forma, quod idem est, à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur. Itaque omnis diuisio rectè potest appellari definitio: sicut omnis homo animal. Genus enim (ut Aristoteles autor est) de qualibet subiecta forma semper dicitur. Sed non contrà: non enim Forma de genere dici potest; ut si quis dicat, Animal est homo: absurdum id quidem esset. Ita rectissime dicitur, Diuisio est definitio, non contrà. Sunt enim multe definitiones, quæ diuisiones nuncupari non possunt: ut quæ constant ex genere & differentijs, quas tu solas existimasti definitiones appellari posse: quæ te res in hanc sententiam induxit, ut Ciceronem errasse crederes. Sed si diligenter aduertisses, quid in Topicis scribat ipse Cicero, ubi de statu finitiuo uerba facit, non tam facile deceptus esses: Sic enim scribit: Cum autem quid sit queritur, notio explicanda est, & proprietates, & diuisio, & partitio: hæc enim sunt definitioni attributa: additur etiam Descriptio, quam Græci *ἁπαρσις* uocant, Vides diuisionem esse definitioni attributam? Quare ponenda tibi posthac est censoria uirgula, cum intelligas non autorum uitio, sed imperitia tua fieri, ut quæ doctè & præclare dicta sunt, ea tibi errata esse uideantur. Ais enim, hoc loco Ciceronem non præstitisse, quod pollicebatur: cum officium

diuid

diuidat, pollicitus se definiturum. Sed iam (ut opinor) agnoscis ignorantia tua factum, ut Ciceronē accusares, cum nescires diuisionē esse definitioni attributam, & tanquam speciem: & qui Diuidat, eum Definire rectissime dici posse. At tu (si Dijs placet) Ciceronem docere uis, atq; illi præscribere, qua definitione sit utendum. Quot modis peccasset Cicero, si ita definisset, ut tu præscribis? Officium esse actionē in omni uita cum uirtute ac ratione coniunctam. Nam primò, cum Officium actionem appellas in omni uita: nihil est omnino uiuens quod excipias: ut cum Omne animal dicimus, quicquid sentit ac mouetur, intelligimus: sed Pecudes etiam & Plantæ uitam habent, nutriuntur enim & crescunt, & in plantis ea est anima, quam Aristoteles ζῆλον, quidam ex nostris, quamuis parum Latine, Vegetatiuam appellarunt: in pecudibus est ea, quam idem Aristoteles αἰσθητικὴν, nostri Sensitiuam dixerunt. Nos, si Latine loqui uolumus, in plantis Nutrientem animam, in pecudibus Sentientē esse dicemus. Ideo dicuntur etiam pecudes & plantæ mori, quòd uitam habeant. Itaq; si Officium (ut tu tibi uideris ingeniose definire) est actio in omni uita: erit etiam in pecudibus & plantis officium: quoniam in eis (ut ostendimus) uita est. Quæ sanè fuit inepta quorundam Stoicorum sententia, ut in plantis ac belluis Officium esse dicerent, quemadmodum scribit Laërtius Diogenes. Quare sequitur, ut etiam Virtus & Ratio sit in plantis et pecudibus: quoniam officium (ut tu uis) est cum ratione ac uirtute coniunctum: quo quid absurdius dici, aut excogitari potest? Non erit igitur Officium actio in omni uita, sed tantum in uita hominum. Sed deinde etiam reliqua pars definitionis tibi diligentius consideranda fuit: non enim

omne officium est cum uirtute coniunctum, tamen si cuiuslibet officij ratio probabilis reddi possit. Differt enim à Ratio quid. Virtute Ratio plurimum: siquidem Ratio pars ea nobilior est animi, quæ nos à belluis maximè segregat, & quæ sola homines censetur, quam Plato in capite, tanquam in arce posuit. Hæc est (ut ait Cicero) quæ efficit, ut homo consequentia cernat, causas rerum uideat, earumque progressus, & quasi antecessionem non ignoret, similitudines comparet, rebusque presentibus adiungat, atque annectat futuras, facile totius uitæ cursum uideat, ad eamque degendam præparet res necessarias. Virtus autem animi habitus est, aut affectio constans cõueniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa sua sponte separata etiam utilitate laudabilis. Sed quoniam Ratio longè latius patet, quam Virtus, multa cum ratione fieri possunt, ut uirtus non adiungatur. Architectus enim recta ratione domicilium ædificabit, & hoc modo suum officium exequetur, cum tamen in eo uirtutem nullam esse uideamus. Potest enim esse uir nequissimus, et bonus architectus. Eodem modo ceteri opifices summa ratione in artificijs suis utuntur, & dicuntur officium suum exequi, etiam si nulla uirtus in eis esse uideatur. Possunt enim factorum suorum probabilem reddere rationem, quæ, Cicerone teste, uera est officij mediæ definitio. Gloriantur Athenæ armamentario suo, ut ait Valerius Max. nec sine causa, est enim illud opus & impensa & elegantia uisendum, cuius Architectum Philonem ita facundæ rationem institutionis suæ in Theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ eius, quam arti tribueret. Quid cum de utilitate sola, detracta honestate, tractandum est? ut duobus propositis utilibus, utrum sit utilius.

Hic

Hic nulla est honestas, nulla uirtus: & tamen est officium. Non igitur erit semper officium cum uirtute coniunctum. Quamobrè apertè uides, te non officium satis acutè definitiuisse, quin potius non mediocriter peccasse. Nam eiusmodi debet esse definitio, ut neq; plura, neq; pauciora quàm ipsum definitum complectatur, ut proprium quiddam efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Tu uerò cum in omni uita officium esse definiis, pecudes, & plantas rationis participes efficiis: cum autè nunquam sine uirtute uis officium esse, artifices omnes multasq; actiones, quæ sunt à uirtute remotæ, prius officio suo. Poteras igitur rectius officium hoc modo definire: Officium est actio in omni uita hominum, cuius probabilis ratio reddi possit.

Quanta porrò uerborum grauitate, quo supercilio, quo uultu Cicronem aggredieris: quòd is Panætium reprehendat, in ea diuisione de consilio capiendò? quam tripartitam tantum Panætius esse uoluit, cum quinque partes habere oporteat. non enim (inquit Cicero) solum honestum an turpe sit deliberari solet: sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius: itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita quam ille triplicem putauit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Hæc tu scilicet, censor maxime, Ciceronis uerba laceras, mordes, uituperas, & tanquam imperitum, aut obliuiosum eum irrides, cum ita inquis: An tu tanti ingenij tantique dogmatis professor, non meministi, apud Stoicos eiusmodi gradus esse sublatos? neque dato utili, aliud utilius, neque dato honesto, honestius aliud inueniri? Quis ista tua uerba tam acria, tam ponderosa, tam grauias Calcagnine non perhorrescat? Sed quæso te, mitius aliquanto loquere: ne tam agas nobiscum Stoicè ac seuerè.

b 1 Resp

Responde igitur, nisi molestum est, An'ne omnes qui de consilio capiendo deliberant, Stoici sunt? Quid (ais) hoc ad rem? Iam faxo ut intelligas: Cum Panætius triplicem ait consilij capiendi deliberationem esse, utrum apud omnes eam deliberationem esse uult, an apud Stoicos tantum? Si tantum apud Stoicos, cur mihi de officijs præcepta dat, qui non sum Stoicus? aut cur solis Stoicis data est deliberandi facultas, si apud omnes est ea deliberatio? ut re uera est. Iam non omnes Stoicorum dogmata sequuntur, aut approbant: sed pleriq; & in honestate, & in utilitate, hos comparationū gradus esse existimant, ut aliud alio sit honestius, eademq; ratione aliud alio utilius. Quare cum de Officijs præcepta traduntur, non queritur, quæ sint Philosophorum decreta, aut quam Stoicū positionem tueantur: sed ad communem opinionem accommodatur omnis oratio: quoniam non ad aliam rem, quam ad institutionē uitæ communis officia spectare uidentur. Itaq; culpam & crimen imprudentiæ non potest effugere Panætius, qui tantum tripartitam esse uoluerit consilij capiendi deliberationem: cum sæpenumero accidat apud eos qui deliberāt, ut honestæ res atq; utiles inter se comparentur, & queratur, utrum hæc, an illa sit honestior, aut utilior. Sed hoc tu facile cōcedis, quod negari nullo modo potest. Verum aliud longe firmitus argumentum aggredieris, ut ostendas, etiam Ciceronis distributionem esse mancā, & mutilā. Quid si (inquis) non duo tantum, sed tria, & quatuor, uel etiam plura dubitando accurrant? Qua in re uideris tu quidem aliquid dicere: non enim solum de duobus, sed etiam de pluribus eodem tempore posse uidetur esse consultatio: quod idem etiam de utilibus intellectum uolo. Sed antequam Ciceronem

ronem

ronem defendo, libet mihi tuam imprudentiam aliquan-
 tulum irridere, qui quo crimine Cicronem accusas, idem
 ipse committis: & quod magis etiam ridiculum est, dum
 nimis cupidè Cicronem insectaris, & exemplo declara-
 re uis eius errorem, tale profers exemplum, quod Cicero-
 nis sententiam corroboret, tuam infirmet. Quid ais, cen-
 sor argutissime? dic apertè, quæso, Ciceronis erratum: fac
 ut omnes intelligant, esse te Cicrone longè ingeniosio-
 rem, quem quo iure, quaq; iniuria damnare contendis.
 Non tantum (inquis) uno tempore, utrum honestius, aut
 utilius, sed etiam quid honestissimū, quid utilissimum de-
 liberare contingit. Audio: sed hanc rem nobis exemplo
 declara. Puta (inquis) pater grauitè ex morbo laborat,
 tu ignarus eius remedij es, quod patri salutem restituat:
 eodem tempore amicus de fortunis, de capite, de dignita-
 te periclitatur, tu causarum patronus auxilio esse potes,
 eidemq; grati animi testimoniū reddere, quum ille te ali-
 quando fortunæ indignitate oppressum subleuauerit: eo-
 dem tempore ignis uicinas ædes corripuit, uerendumq;
 tibi, ne tuæ ædes tua cum familia protinus conflagrent:
 eodem tempore hostis patriam aggreditur, et propemo-
 dum intra mœnia irrumpit. Hoc tuum est exemplum, in
 quo primū duo proponis honesta simpliciter, deinde duo
 utilia cum honestate coniuncta: nam & patri, & amico
 succurrere, honestum est, sed honestius patri: præterea
 ignè extinguere, utile est, sed utilius hostes à patrijs mœ-
 nibus propulsare. Itaq; tuo exemplo Ciceronis sententia
 confirmatur, ut duobus propositis honestis, utrum hone-
 stius consideremus: & duobus propositis utilibus, utrum
 utilius. Sed fac accidere tēpus, ut plura simul honesta no-
 bis occurrant, de quibus deliberandum esse uideatur: nun-

b s quam

quam tamen eodem tempore quisquam plura, quam duo considerat quæ sequatur: dum enim hoc uidetur honestum, illud tanquam honestius animum attrahit: rursus si tertium aliquid succurrat quod grauius sit, relicto prior de postremis duobus deliberatur, & (ut ait Comicus) dum in dubio est animus paulo momento huc uel illuc impellitur: nam quamuis plura uideantur honesta proposita, tamen duo, quæ sint præcipua, solet animus eligere, ut uel hoc, uel illud aggrediatur: ut, si eodem tempore pater grauiter egrotet, amicus de capite & fortunis periclitetur, fratrem inimici persequantur, patriam hostes oppugnent: statim occurrit nobis pater & patria, de quibus deliberemus: atq; ita non iam de amico, non de fratre, sed de patre aut patria conseruanda cogitamus: quoniã hæc illis longe præstant. Eadem est etiam de utilibus ratio: est enim inter ea tantum deliberatio, quæ non multum inter se distant: quòd siquid est eiusmodi, ut plurimum excellat, id ad se statim animum nostrum allicit, nec de alijs rebus finit cogitare. Non est igitur quod in Ciceronem argueris, qui omnino ingeniose uidit, etiam de solis honestis esse deliberationem, itemq; de solis utilibus: atq; ideo Panætium rectissime reprehendit, quòd hæc duo diuisionis mēbra prætermiserit. At tu, dum contra Ciceronem Panætium defendere studes, Aristotelis uerba nihil ad hunc locum facientia, ex Ethicorum quinto recitas. Boni uidelicet rationem subire minus malum, si ad maius cōparetur: minusq; malum magis, quam maius esse expetendum. Sed quid hæc ad rem? non enim uideo. Quoniam (inquis) minus utile, utile esse desinit, si magis utili conferatur. Nunc demum intelligo, quò torqueas Aristotelem. Sed dic mihi, notum ne est omnibus, quid ma-

gis

gis utile sit, & quid minus? aut quid minus honestum, & quid magis? Certè si ita sit, nulla erit de magis aut minus utili atq; honesto deliberatio. Sed uide ne prudentes, ac rerum usu periti homines, tibi actionem iniuriarum intendant, quòd illa, quæ sunt eorum propria, imperitis etiam, ac rusticis impertias. Nam duobus propositis honestis aut utilibus, statuere quid sit honestius, aut utilius, uel maximè prudentis esse uidetur. Quòd si non omnes prudentes sunt, neq; facillè intelligunt, qui sint gradus honestatis, atq; utilitatis: necesse est, ut aliquando, uel potius sæpe, de magis utili, & de magis honesto sit deliberandum. At quàm pulchrè similibus ludis: quæ licet ad docendum sint accommodata, cum aptè sumuntur: tamen ad probationem, teste Quintiliano, minimum ualent. In affulgente sole cætera lumina hebetantur, sic sub Dictatore cæteræ iurisdictiones abolentur. Perinde quasi sit unum aliquod honestum, aut utile summū, quod tanquam sol quidam inter cætera omnia honesta, aut utilia splendeat, & id solum in consultationem ueniat. Imò uerò ut inter homines sæpenumero duo reperietur in eodem genere tam præstantes, ut nescias uter utri sit præferendus, quod etiam in equis, & in cæteris eiusmodi rebus accidit: ita in rebus honestis, & utilibus, duæ possunt eiusmodi cõtingere, ut nescias utram utri præferri oporteat. Neq; exemplum illud, de opitulando amico & parenti, conuenit huic loco, propterea quòd (ut iam docuimus) inter ea tantum est deliberatio, quæ non multum inter se distant. Hoc autem dico, quoties de duobus honestis, aut utilibus, est consultatio: ut si in utraq; parte trutinæ pondus frè æquale exposueris, non statim erit planum, in quam partem sit inclinatura: sed paulatim, in eam partem in qua paulò

paulò grauius crit pondus, deprimetur.

IIII

Proponit Tullius Inuſtitie duo genera: unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab ijs, quibus inferitur, ſi poſſunt, non propulſant iniuriam: damnatq; Philoſophos in hac parte, qui dum alterum iuſtitie genus aſſequuntur, in ferenda necui noceant iniuria, in alterum incidunt: diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Quis hanc Ciceronis ſententiam non uidet eſſe ſanctam, & religioſam? Nam quis inuſtitie nomen effugere poteſt, ſi tantopere ſtudijs ſuis deditus fuerit, ut amicos, parentes, patriam deſerat? Non damnatur à Cicerone Philoſophi, quòd diſcendi ſtudio ſint impediti, quippe qui Philoſophie ſtudium multis in locis diuinis propè laudibus efferat, & cum Platone ſentiens, Deorum immortalium munus eſſe affirmet. Sed ij maiorem in modum uituperandi ſunt, qui ſtudium ſuum humane ſocietati preponunt, & diſcere potius uolunt, quàm ab ijs propulſare iniuriam, cum poſſunt, à quibus debet. Licet enim ueri cognitio maxime naturam attingat humanam, & quod in rebus honeſtis & cognitione dignis opere cureq; ponitur, id iure laudetur: tamè eius ſtudio à rebus gerendis abduci, contra officium eſt. Quid ergo dabit quidem operam ſtudijs ſuis uir ſapiens: ſed eum intelligat, nulla re propius homines ad Deos accedere, quàm ſalute hominibus danda, nunquam communem utilitatè contemnet, ſed erit in perpetua quadam ſtatione, ut ſimul atq; uiderit opera ſua patriam, aut amicos indigere, ſtatim ad ferendum auxilium, non coactus, ſed ſponte ſua ueniat. hoc eſt, quod merito reprehendit Cicero, ſi ad Rempub. ne quicquam deſſeri ſint Philoſophi, (ut putat Plato) niſi coacti. Aequius enim (inquit) erat, id

id uoluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est, quod re-
 ctè fit, si est uoluntarium. Tu uerò Ciceronè accusas, quòd
 (ut ipse loqueris) in Platonis sententiam arguetur: aisq;
 dictum esse à Platone, Nec debere Philosophos, nec posse
 cogi ad Reipub. gubernationem: sed eos sibi sua sponte
 hanc necessitatem imposituros, ut quum tempus postula-
 uerit, Rempub. capeffant. Sed dic mihi, ubi, aut quando
 dixit hoc Plato? equidem uideo pluribus in locis hanc
 fuisse Platonis sententiã, Philosophum ad Rempub. non
 esse accessurum, nisi multis precibus rogatus, ac penè co-
 actus fuerit. Itaq; de Repub. libro septimo, dicit esse co-
 gendos Philosophos, ut Reipub. administrationem susci-
 piãt: quod tu, uidelicet Platonis studiosus, negas unquam
 ab eo dictum fuisse. Sed quid illa comparatio, quam ex
 quinto de Repub. Platonis libro nobis adducis, non ne
 aperte contra sententiã tuam facit. Ut enim non est mu-
 nus nautarum, & gubernatorum, eos rogare, qui nauì
 uehantur, ut se uehi sinant: sed eorum potius, qui uehun-
 tur, orare, ut gubernatores, & nauæ eorum curam sus-
 cipiant, atq; in portum peruehant: pari ratione, neq;
 Philosophorù interest, ut rogent ipsi se ad publicam ad-
 ministrationem: sed ut rogentur potius, ut uelint ipsi
 Reipub. clauum capeffere, & laborantem ciuitatem sua
 prudentia sustinere. Itaq; si expectant, ut rogentur, quo
 tempore laborat Respub. non sibi sua sponte hanc neces-
 sitatem imponunt, quam tu paulo ante Platonis senten-
 tiã esse falsò dicebas. Sed dicat mihi Plato, uel tu potius
 Platonis defensor, utrum iustum sit, an iniustum, pericli-
 tantem Rempub. subleuare? Si iniustum, nunquam ad eam
 accedere Philosophus debet, etiam si cogatur: sed uitam
 potius profunderè, quàm aliquid iniuste committere. Si
 iust

*iustum, cur iubet expectare Plato, donec rogentur, ac pe-
 ne cogantur? cur non ultrò se offerunt? cur non id, quod
 iustum & honestum est, libenti animo, ac uoluntario su-
 scipiunt? cum præsertim doceant omnes Philosophorum
 scholæ, iustum maximè omnium esse expetendum. Expe-
 tant igitur, si boni sunt, hanc iustitiã, & obuijs (ut aiunt)
 uicinis amplectantur. Ergo si fuerit in periculo patria, uir
 iustus in studijs suis erit quietus? nihil commouebitur?
 non accurret? non se sponte offeret? non manum extollet,
 & cum Nasica illo clamabit, Qui Rempub. saluam esse
 uult, me sequatur? sed expectabit in lectulo suo prostra-
 tus, ac libris undiq; septus, ut ciues sui ueniant supplica-
 tum, ut sese ad eius genua prosternant, ut miserè uocife-
 rentur, ut calamitates ac misérias suas exponant, ut de-
 niq; illum humeris suis sublatum in forum deducant, &
 omnes una uoce cum lachrymis deprecantur, ut laboran-
 ti patriæ subueniat? Prò Dij immortales, hæcine uir iu-
 stus expectabit, qui nihil aliud quàm de communi salute
 cogitat, qui pro patria sanguinè ac uitam profundere pa-
 ratus est, qui nihil intelligit esse laudabilius, nihil præ-
 stantius, quàm de Repub. bene mereri? Crede mihi, quam-
 uis multa præclarè, multa diuinitus Plato dixerit, tamen
 in hac parte parum omnino, quid sapientem deceat, per-
 spexisse uidetur: quòd eum putet, non nisi coactum ad
 Rempub. accessurum: & à Cicrone meritò reprehendi-
 tur: quòd nulla res iusta rectè appellari potest, nisi uo-
 luntaria. Sed obijcis, multa accidere posse, quæ Philoso-
 phos deterreant, ne Reipub. curam suscipiant. Præcla-
 ros uerò ac nobiles Philosophos nobis inducis, qui terro-
 re tanquam mulierculæ quatiantur. Sed detur hoc impe-
 ritie tuæ, qui non intelligas, terrorem in sapientem ca-
 dere*

dere non posse. Videamus exemplum quod à Cicerone sumis ad sententiam tuam probandam ex epistola quadam ad Lentulum. Id iubet (inquit ille) Plato, quem ego autorem uehementer sequor, tantum contendere in Repub. quantum probare tuis ciuibus possis: uim neq; parenti, neq; patriæ afferri oportere. Quasi uerò dicamus nos, uim afferendam esse parenti, ac patriæ. nam quemadmodum expectare sapiens non debet, ut à ciuibus ei supplicetur, quoties periclitantem patriam uiderit, sed sponte sua periculo caput obiectare: ita ciues inuitos, ac recusantes seruare non debet. Illud enim Horatianum habet aliquam ueri similitudinem:

Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

ut in hac re, sicut in reliquis omnibus, iuxta Peripateticorum sententiam, neq; defectus, neq; excessus, sed ipsa mediocritas, quam meritò Flaccus auream appellat, laudabilis esse uideatur. Hanc tu si complecti didicisses, nunquam profectò te cæca ac temeraria dominatrix animi Cupiditas ad tantam insaniam cõpulisset, ut ipsum omnis eloquentiæ, ac scientiæ fontem, tanquam aper quispiam immisissus, perturbare auderes.

Quid, quòd Ciceronem suis telis iugulare cõtendis? *Quantæ denuum hoc excellentiæ putandum est, si quidem à te præstari potest? O præclarum, & omnium literis, ac sermone prædicandum facinus, unum extitisse post hominum memoriam Calcagninum, qui Ciceronem Romanæ linguæ principem aggressus, gladium ei de manibus, tanquam Herculi clauã, eximere, atq; illum transfodere conatus sit. Verùm libet mihi cum Aenea Virgiliano, tanquam ex alto loco proclamare,*

Quò moriture ruis, maioraq; uiribus audes?

scã

Sed tamen argumentationis tuæ uim, ac robur uideamus: ut omnes intelligant, te non aliter atq; apri seipfos, in opposita uenabula ruentes, infigere solent, dum nimis cupidè uenatores inuadunt, tua sponte Ciceronianis armis esse confossum. Duobus in locis (inquis) affirmat Cicero, Præterire aliquid, maximum esse uitium in diuidendo: & in hoc primo de Officijs libro, & in Topicis. Sit ita: quid tum postea? At ipsemet Tullius in hoc, quod in Panætio summopere damnat, uitium incidit turpissimè. Magnum Ciceronis dedecus, si ita est. Sed quibus tu id rationibus approbas? Utitur (ais) hoc loco huiusmodi diuisione: Sunt autem Priuata natura nulla, sed aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt; aut uictoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, aut pactione, conditione, sorte. Quid (inquis) de eis dicemus, quæ edicto prætorio nobis addicta sunt? nam edictum prætoris à lege diuersum est: quid de ijs, quæ contractu nobis & pretio ita comparauimus, ut nostri mancipij facta sint? quid de ijs, quæ prædio nostro alluione fluminis accreuerunt? quid de ijs, quæ se nobis forte fortuna obtulerunt, ut thesauri inuentio, ut auium captura, quæ libero aëre uagatur? Hæc tuæ est obiectio, quam mihi diligenter examinare ac perpendere certum est, antequam defendo Ciceronem: nam aperte paulo post ostendam, hanc neq; diuisionem esse, quam adducit hoc loco Cicero, neq; si esset diuisio, quicquam esse prætermisum. Nam si hæc omnia, quæ tu dicis à Cicerone esse prætermisum, sub illis ab eo prius positis generibus continentur, quis non arrogantiam tuam rideat, qui pedem (ut dici solet) in alienam messem ponas, et ea tractes, quæ nihil intelligis? qui Ciceronem ideo reprehendas, quòd uti uitiosa diuisione noluerit? nescis & à Dialecticis,

cis, & à Rhetoribus doceri, uitiosam esse diuisionem, in qua posito prius genere, postea generis partes seu formæ subijciuntur? Quid igitur primo dicis esse prætermissum? Bona quæ edicto prætorio nobis addicta sunt. Quid ita? Quoniam (inquis) edictum Prætoris à lege diuersum est. Ita'ne obsecro ius ciuile didicisti? Vis ergo, ut tibi potius, quàm Imperatori Iustiniano credamus, quia scilicet in autores egregios censoriam uirgulam arripuisti. Sed fortasse ipsum etiam Iustinianum damnabis, propterea quòd ausus sit te inuito Prætorium edictum legis scriptæ formam, seu partem esse, dicere. Ego uerò istud os tuum uidere nimium uellem. Certè Iustinianus Institutionum suarum libro primo, Legum eandem esse diuisionem apud Latinos, quæ apud Græcos statuit. Constat (inquit) ius nostrum, quo utimur, aut scripto, aut sine scripto: ut apud Græcos τὸν νόμον οἱ μὲν ἑγγράφοι, οἱ δ' ἀγραφοί. Scriptum autè ius est, Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuū edicta, Responsa prudentium. Atq; hæc quidem sex iuris scripti formæ legis nomine continentur, quamuis per Antoninasiam Lex ea propriè dicatur, quam Populus Romanus Senatorio magistratu interrogante, uelut consule uel censore constituebat. Sicuti cum Poëtam dicimus, apud Græcos Homerus, apud nos Virgilius intelligitur. Hoc etiam ex ipsius Iustiniani uerbis facile potest intelligi: qui quamuis primam iuris scripti formam Legem esse statuisset, tamen non ita multo post ita scribit: Quodcunq; ergo Imperator per epistolam constituit, uel cognoscens decreuit, uel edicto præcepit, legē esse constat. Quòd nisi Lex aliquando generale uocabulum esset, aliquando speciale, non posset excusari Iustinianus, quin uel formas iuris

c

confud

confudisset, uel post genus speciem in diuisione collocasset: quod maximè constat esse uitiosum. Verùm Lex interdum pro omni iure uel scripto, uel non scripto capitur, interdum pro scripto tantùm iure, interdum uerò solum pro constitutione populi Senatorio (ut diximus) magistratu interrogante. Quod ita esse multis exëplis manifestum fieri potest: nam Legem omne ius continere, declarat his uerbis Cicero: Cùm legem dico, nihil aliud intelligi uolo, quàm Imperium, sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominũ uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Quin etiam in Verrem Cicero Prætorium edictum legem annuam dicit esse. Non est igitur, ut tu uis, Prætorium edictum à lege diuersum: cùm præsertim (ut præclare docet Cicero) uerè dici possit, Magistratum legem esse loquentem, Legem autem mutum esse magistratum. Quin potius (ut ait Iustinianus) Prætorum quoq; edicta non modicam obtinent iuris autoritatē. Hoc etiam (inquit) Ius honorarium solemus appellare, quòd qui honores gerunt, id est, magistratus, autoritatem huic iuri dederunt. Itaq; quæcunq; edicto Prætorio nobis addicta sunt, ea per legem priuata fiunt: quæ uerò contractu, & pretio ita comparauimus, ut nostri mancipij sint, ea per pactionem nobis acquiruntur: quod uel puero perspicuum est. Præterea quæ prædio nostro fluminis alluione sunt adiuncta, nostra non essent, nisi legibus ita statutum esset: quæ a obrè hæc etiam ad legem refruntur. Quæ se nobis forte fortuna obtulerunt, ut thesauri inuentio, ut auium captura, quæ libero aère uagantur: quis non uidet hæc sorte nobis euenire, uel cõditione aliqua, ut si studio, & industria uenati fuerimus? Vides igitur sub generibus illis à Cicerone positis

in

in hac, quam tu diuisionem appellas, omnia contineri, quæ tu obijcis esse præterita. Quæ cum ita sint, omnino necesse est, ut te uel imperitissimum, uel gloriosissimum existimemus. Imperitissimū, si hæc tam aperta & manifesta non uides, quæ uel cæcis (ut dici solet) appareant. Gloriosissimum, si intelligis, & tamen contradicendi studio uis impugnare: ut innotescere possit omnibus, Calcagninum cum Cicerone, tanquam Scarabæum cum aquila certamē suscepisse. Nunc aggrediar id ostendere, quod initio pollicitus sum, hanc uidelicet non esse Diuisionem, quam inducit hoc loco Cicero: sed quandam potius cum enumeratione Partitionem, seu Distributionem: atq; idco non esse uitiosum, etiam siquid in ea præteritū esset. Nam Diuisio (ut Boëthius docet) quæ uerè ac propriè dicitur, ea est, qua uel genus propositum in formas diducitur, uel totum in membra discerpitur, uel uerbum ambiguum per suas significationes exprimitur. Hoc autem loco, neq; genus ullum est propositū quod diuidatur, neq; totum, neq; uerbum ambiguum: nulla est igitur diuisio. Cum enim ita proponit Cicero, Sunt autem Priuata natura nulla: declarat, omnia naturaliter esse cōmunia. Itaq; nullum statuit priuatorum genus quod diuidat: sed aliquos enumerat modos, quibus ea quæ prius cōmunia fuerant, postea priuata facta sunt: quo in genere nullum est uitium, aliqua præterire: quod ipse Cicero sic in Topicis docet: Partitione autem sic utendum, nullam ut partem relinquas: ut si partiri uelis Tutelas, inscienter facias, si ullam prætermittas: at si Stipulationum aut Iudiciorum formulas partiare, non est uitiosum in re infinita prætermittere aliquid: quod idem in Diuisione uitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quæ cuiq; generi subijcian-

tur : Partium distributio sæpe est infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. Itaq; in Oratorijs artibus quaestionis genere proposito, quot eius formæ sint, subiungitur absolute. At cum de ornamentis uerborum sententiarumq; præcipitur, quæ uocantur *χύματα*, non fit idem, res enim est infinitior : ut ex hoc quoq; intelligatur, quid uelimus inter Partitionem & Diuisionem interesse. Hæc Cicero: Quibus intelligi facile potest, plerunq; contingere, ut in partiendo nonnulla præterire non sit uitiosum; quod idem non fit in Diuisione, in qua nihil unquam sine uitio præteriri potest. Sed fac istam, quam reprehendis, esse diuisionem: quid tandem in ea prætermisum est? nam quæ tu uis esse præterita, declarauimus omnia sub illis generibus à Cicerone numeratis contineri: neq; præterea quid dici, aut excogitari possit, uideo: nihil est igitur prætermisum. Quare siue Diuisio sit, ut tu existimas, siue non, ut ego affirmo, nihil est in hac parte uitiosum.

VI

Ecce autem cum Iniustitiæ duo genera Cicero statuisset: unum eorum, qui iniuste impetum in quempiam faciunt, aut ira, aut aliqua perturbatione incitati: alterum eorū, qui nec defendunt, nec obsistunt iniuriæ, si possunt: uelitq; hos, qui propulsare nolunt iniuriam, tam esse in uitio, quam si parentes, aut patriam deserant. Insurgis ab altera parte tu uehemens accusator, damnasq; Ciceronem nimie seueritatis, ac penè immanitatis, quòd hoc nimis Stoicè dictum esse uideatur, & quod inter paradoxæ referri oporteat. Equidem nequeo satis mirari, quid hoc loco nimis Stoicè dictum existimes: aut quid tibi uideatur esse Paradoxon. An fortasse, quia Stoici patriam uolebant esse peccata, Ciceronē putas eorum opinionem secutum, hoc dixisse? Credo te ita cogitasse. Sed diligenter

gentius, quæso, Ciceronis uerba consydera. uidebis enim te longe tua opinione falli. Non enim ait Cicero, tanto esse in uitio, qui non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, quanto si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Sed ait, tam esse in uitio: hoc est, tam contra officium facere, & in uitium iniustitiæ cadere. Nam cùm de Iniustitia uerba faciat, non tantũ eos qui inferunt, sed eos etiam qui non propulsant iniuriam, iniustos esse ostendit: & quemadmodum qui parentes, aut amicos, aut patriam deserunt, iniusti sunt appellandi: ita etiam qui non propulsant, si possunt, iniuriam. Vtri uerò sint iniustiores, nihil ad hoc tempus: satis est enim hoc loco demonstrasse, genus esse quoddam iniustitiæ, non propulsare, cùm possumus, iniuriam. Itaq; in eo membro, Tam est in uitio: uerbum illud, Tam, non quantitatem, sed qualitatem potius, ac similitudinem significat. Vt si quis ita dixerit, Qui seruum interficit, tam est in crimine cædis, quàm si parentem interfecisset. Vel sic: Qui clam Denarium surripit, tam est in furto, quàm si decies sestertium surripuisset. Hæc quis non uidet esse uerissima, quamuis inter se plurimum peccata differant? Tam est furtum denarium clam surripere, quàm decies sestertiũ: sed hoc longe maius. Eodem modo dicit Cicero, tam est Iniustitia, Non propulsare, si quis potest, iniuriam: quàm parentes, aut patriam deserere: sed nemo dubitat hanc esse maiorem. Itaq; non est, quòd hæc inter paradoxa referas, quæ planissima sunt. Quàm uerò copiosè, quàm penè tragicè contra Ciceronis uerba fulminas? Quid si fontem (inquis) defendam? si eum, qui alium prius iniuria prouocarit? si eum deniq; cuius causa & mihi & meis diuturnas offensas concitem? durum & plenum inclementiæ. Ah Calcagnine, ne quæso tam

acriter insurgas, cum præsertim nemo tibi has necessitates imponat. Quis te fontem iubet defendere? an non iniustitia sit, si hoc facias? Quis iubet, ut eum defendas, qui prius aliū iniuria prouocarit? Obsecro te, perpende prius Ciceronis uerba diligenter, & mande, & concoque, deinde siquid tibi nauseam cōcitarit, tunc illud euomito. Iubet Cicero, ut resistamus iniuriæ, non ut fontes defendamus, aut eos qui priores iniuriam intulerint. Non est iniuria, fontem punire: non est iniuria, uim ui repellere. Quare cessa bonis auibus in hac parte: neminem neque fontem, neq; iniuriosum defende, non te accusabit Cicero. At dicis, Nolim mihi & meis inimicitias comparare. Esto igitur prudens, ut bonus ratiocinator officiorum esse possis: nam si eiusmodi sunt inimicitia, ut eas non admodum pertimescas, tibi repellenda est iniuria, & subeunda propter iustitiam inimicitia. Si uero tales futurae sint, ut & tibi, & tuis detrimentum sint allatura, cessa: non enim potes iniuriæ resistere. Vult autem Cicero, te tantum solummodo contendere, quantum sustinere commode possis. Quid si plures eodem tempore defendendi sint? Accurre ad eum, qui tibi charior est, cui magis debes, si nõ potes omnibus eodem tempore subsidium ferre. Quid si constituto in periculo opitulari non possim, nisi amicum uel necessariū læsero? amicus ille tuus uel iustus, uel iniustus est: Si iustus, neminem per iniuriam offendet: sin iniustus, nihil eius amicitiam curare debes: sed innocentem, si potes, omni ratione subleuare. Crede mihi, nihil inuenies, quod Ciceronis sententiam infirmare possit, quam à natura ipsa, uel potius à recta ratione deduxit. Ecce autem iterum eloquio tonas. Quæ, malum, (inquis) hæc comparatio? quàm absona? quàm ueritati refract

refractaria? deinde monstra quædam uerborum, & portenta fingis: Destituere ignotum, ac peregrinum, ac nihili hominem, & prodere parentes, amicos, patriam, à Cicerone par scelus existimari. Vnde hoc (quæso) datum sumis? ubi est hæc Ciceronis sententia? ubi comparatio? ubi loquitur Cicero de prodicione patriæ, parentum, aut amicorum? Quæ, malum, est ista peruersitas tua? ut fingas à Cicerone dici, quæ non dicuntur, quò facilius eum impugnes? Adq; ne mortales omnes negligentes esse putas, ut eorum oculos tuis nugis præstringere, atq; eis tenebras offundere possis? Dic, ubi pietatem in parentes, necessitudinem inter amicos, charitatem in patriam, publico, ac latè nimis profuso, humanæ societatis uinculo Tullius adæquarit? ex hoc certè loco non potes hæc elicere: quoniam (ut initio docuimus) nulla est hic quantitatis comparatio, sed similitudo quædam: neq; de magnitudine criminis, sed de genere uitij disputatur: ut ostendat Cicero, non propulsare iniuriam, tam esse sub iniustitia, quàm patriam deserere. Sicuti meretricia consuetudo, tam est sub luxuria uel libidine, quàm adulterium, quàm incestum: quamuis nemo sit, quin intelligat, longe maius esse peccatum Adulterium, aut Incestum cõmittere, quàm coire cum meretricula. Qui quidem gradus etiam in uirtute reperiuntur: ut Amicum adiuuare, tam est sub iustitia, quàm patriam defendere: sed hæc tamen posterior uirtus, longe præclarior. Iaces igitur cum tuis argumentis, qui uinculum humanæ societatis à Cicerone, parentibus, & amicis, & patriæ putes adæquari.

Sed quæ hæcenus à te sunt impugnata, fuerunt eiusmodi, ut in eis aliquid dicere uidereris: quod uerò nunc addis, omnino falsum est: itaq; tolerari nullo modo
 c a potest

V I I

potest. Equidem non miror, si multa quotidie finguntur ab ijs, qui nullum sibi contradicturum sperant, aut qui tabellis obsignatis, secum agi non posse intelligunt: cum tu, quem uerisimile est credidisse, multos fore, qui contradicerent, ac Ciceronem defenderent: & qui præclare intelligis, opera Ciceronis à studiosis literarum in manibus continenter haberi: tamen audeas id fingere, quod nusquam Cicero dixit, ac ne somniauit quidem. Sic enim septimam disquisitionem tuam aggredieris: Cicero Liberalitatem cum Iustitia confundit. Vbi quæso hoc, aut quibus uerbis efficit Cicero? Porrige obsecro manum, & digito locum demonstra: non enim in Officijs Ciceronis, ubi hoc faciat inuenio: nisi fortè tu nouum aliquod exemplar habes, ubi confusio illa liberalitatis ac iustitiæ lateat. In eis certè quæ mihi uidere contigit, nusquam hanc confusionem inueni. Tuum igitur fuit, locum apertè declarare: non postulare, ut tibi tanquam Xenocrati cuiuspiam iniurato credamus. At ego contra uideo, diligenter à Cicerone uirtutes istas inter se distingui, separatimque alteram ab altera tractari: ut non possim non mediocriter admirari, te tam impudenter & apertè mentitum. Sed præstat ipsius Ciceronis uerba recitare, ne me quisquam fortasse putet, amore ductum, quo semper ab incunte pueritia Ciceronem complexus sum, aliquid fingere, quæ sic habent: De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & uitæ quasi communitas cõtinetur, cuius partes duæ sunt: Iustitia, in qua uirtutis splendor est maximus, ex qua uiri boni nominantur, & huic coniuncta Beneficentia, quam eandem uel Benignitatem, uel Liberalitatem appellare licet. Hic uides apertissime distinctam à Liberalitate Iustitiam: atque

ita

ita de Iustitia uerba facere incipit, separatim à Liberalitate : Sed iustitiæ primū munus est, ut necui quis noceat, nisi laceſſitus iniuria : deinde, ut communibus utatur pro communibus, priuatis ut suis. Itaq; progreditur, & Iustitiæ munera pluribus uerbis explicat. Postea uerò, cum iam satis multa uerba de Iustitia sibi fecisse uideretur, *αὐτὰ βασίον*, id est, transitionem addidit, ut à Iustitia Liberalitatem segregaret, quæ est eiusmodi: De Iustitia satis dictum est: deinceps, ut erat propositum, de Beneficentia ac Liberalitate dicatur, qua quidem nihil est natura hominis accommodatius. Hæc certe Ciceronis uerba sunt, quibus intelligi satis potest, uoluisse eum à Iustitia disiunctam esse Liberalitatem. Quæ cum ita sint, omnino te mentitum esse fateare necesse est. Quid ergo Ciceronem impugnas? an fortasse quia iustitiæ coniunctam esse liberalitatem dixerit? At hoc ipse tua sponte fateris, cum dicis, has duas uirtutes habere aliquam inter se uicinatē, præsertim in ea parte, quæ in erogando constat: dat enim utraq; pro dignitate bene meriti. Sed quemadmodum hæc uirtutes differant, optimè declarat Aristoteles in libello de Virtutibus: Iustitia (inquit) est uirtus animi *δία τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κατ' ἀξίαν*, id est, quæ distribuit quod pro dignitate cuiq; conuenit. Liberalitas uerò est uirtus animi *διδασκαλίας τὰ καλὰ*, hoc est, quæ in rebus honestis facile sumptum facit. Propterea Iustitiæ munus esse uult, patrios mores seruare, legibus obtemperare, promissa & conuenta efficere. Liberalitatis uerò, facilem esse in erogando, quoties opus fuerit, & quoties honestas ipsa postulat: libenterq; auxilium egenti ferre, neq; unde non licet aliquid accipere. Quæ si quis diligenter aduertat, intelliget profectò, magnopere cum ijs quæ de Iustitia &

Liberalitate tradit Cicero, conuenire. Quæ uerò tu citas ex Aristotele de duplici proportione, Geometrica, & Arithmetica, non uideo quid ad hunc locū faciant. Vtrum autem id uerum sit, quod tu asseris, Liberalitatē esse Fortitudini propinquiorem, quàm iustitiæ, uiderint alij: ego certè, nisi firmiores attuleris rationes, à Cicerone nostro non discedam: qui non fortitudini, sed iustitiæ cōiunctam esse liberalitatem statuit: neq; iniuria, cū utraq; ad hominum societate, & uitæ quasi communitatem pertineat.

VIII

ATq; hæc quidem, quæ de iustitia ac Liberalitate dicta sunt à Cicerone, declarant id apertissimè, quod ab eo tu dicis esse prætermissum: nempe quam ob causam fiat, ut quanquam omnis uirtus nos ad se alliciat, faciatq; ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse uideatur: tamen Iustitia & Liberalitas id maximè efficiat. Superius enim copiosè declaratum est à Cicerone, duas has uirtutes latissimè patere: in ijsq; societatem hominum inter ipsos, & uitæ communitatem contineri: atq; in iustitia uirtutis splendorem esse maximum, ex qua uiri boni nominantur: quia nemini nocent, quia naturam duces sequuntur, & communes utilitates in medium afferunt, & opera atq; facultatibus deuinciunt hominum inter homines societatem: quia facile cōdonant iniurias, nullis dolis, nullis fraudibus utuntur: & cū nemini noceant omnibus prodesse student: præterea quia liberales homines plurimum eis tribuunt, à quibus plurimum diliguntur. Hæc ne tibi paruæ uideatur esse causæ, quibus approbet Cicero Iustitiam & Liberalitatem nos ad se allicere, facereq; ut eos diligamus, in quibus ipsæ inesse uideantur? Equidem non uideo, quid ab Aristotele copiosius, aut melius dicatur. Quin potius idem dicere uidetur Cicero quod Aristoteles,

les, & longè clarius atque ornatius. Non enim Cicero, quod tu fortasse somnias, ad ipsum qui habet has uirtutes, sed ad uitæ communitatem pertinere docet: quod idem etiam Aristoteles facit, cum Iustitiam & Liberalitatem scribit aliorum gratia & commodo exerceri: atq; ideo ἀλλοτρίαις ἀρεταῖς, id est, alienas uirtutes à ueteribus appellatas, quòd publicæ utilitatis gratia potius, quàm priuatae sint inuenta. Quid aliud, quaeso, tradit Cicero? non ne hæc eadem longè politius, & elegantius? Sit enim grauiſſimus autor (ut est) Aristoteles, tamen in eo quod est oratoris proprium, aptè, distinctè, ornatè dicere longissimo Ciceroni est interuallo proximus: neq; uideo quid fecundius, atq; uberius hoc opere Ciceronis inueniri possit: quod scilicet ex Aristotelis lectione putas tu locupletius ac perfectius fieri potuisse. Quid si noluit Aristotelem imitari Cicero? Quid si longè melius de Officijs præcepta tradidit, quàm Aristoteles? tamen ne tam obstinatè dabis operam, ut eum sine ulla causa, aut ratione uituperes? dicam enim, pace tanti Philosophi, Pluris hoc ego unum de Officijs opus facio, quàm uniuersa Aristotelis moralia. Non quòd Aristotelis ingenium non maiorem in modum admirer, cuius assidua lectione soleo mirificè delectari. Sed quòd hoc Ciceronis opus ad uitæ communis institutionem longè aptius esse iudico, quàm ea quæ de moribus tradit Aristoteles. Sit enim Aristoteles Philosophorum longè præstantissimus, sit naturæ diligentissimus indagator, fundat aureum flumen orationis, ut ait Cicero: sit in approbandis rationibus acutissimus: tamen cum eum à rerum naturalium contemplatione reuocarís, multis in rebus à cæteris autoribus superatur. Quare si primum omnium Philosophorum in naturalibus rebus inuestigandis,

dis, & memoriae prodendis Aristotelem affirmes: facile id quidem tibi concessero. Quod si eandem in moribus, ac in reliquis disciplinis illi praestantiam attribuas: neminem (ut opinor) paulò doctiorē inuenies, qui tibi uelit assentiri. Non est igitur quod Ciceronem accuses, si cum de officijs praecepta traderet, Aristotelem in manibus habere noluerit: cum uel fortasse Panætium pluris in hac parte fecerit, uel aliter quàm Aristoteles, haec quae spectant ad mores, tractare uoluerit: cum praesertim initio Stoi-
cos se uelle sequi proposuerit, & iudicio arbitrioq; suo, quantū quoq; modo uideretur è fontibus illorum haurire.

IX

Comparat Cicero res urbanas cum bellicis, multasq; res urbanas extitisse maiores clarioresq; quàm bellicas affirmat: atq; hoc approbare uolens, Solonis ac Themistoclis exemplum in medium profert. Solon enim Athenis Areopagitarum sapientissimum concilium constituit: Themistocles uerò clarissimam in Salamine pro patria pugnans cōtra Persas uictoriam reportauit. Non minus praclarum (inquit Cicero) Solonis factum, quàm Themistoclis iudicandum est: hoc enim semel profuit, illud semper proderit ciuitati, illo consilio leges Atheniensium & maiorum instituta seruantur. Et Themistocles quidem nihil dixit, in quo ipse Areopagum adiuuerit: at ille uerè à se adiutum Themistoclem: est enim bellum gestum consilio Senatus eius, qui à Solone erat constitutus. Hic tu Ciceronem impugnas, atq; obijcis interpretatum à Themistocle oraculum, cum ostendit suis ciuibus, quae forent lignea mœnia: quum persuasit, ut se nauibus tuerentur: perinde quasi foret haec ciuitati profutura, nisi Areopagus ea suo iudicio comprobasset. Quod uerò Themistoclis consilium ac prudentiam in bello gerendo, fortitudinem

dinem & industriam in agendo uerbis amplificas : nihil aliud agere uideris, nisi ut credamus, magnum Imperatorem & egregium bellatorem fuisse Themistoclem: quam ei gloriam & laudem, etiam sine tuis uerbis, facile concedimus. Sed hoc tempore non id agitur, quàm magnus Imperator Themistocles fuerit : sed uter magis Reipub. profuerit, ipse ne, an Solon. Quòd si Leges (ut est Pindari sententia) Deorum hominumq; reginae sunt: uel (ut docet Cicero) si Lex est uinculum ciuitatis, libertatis fundamentum, fons æquitatis : & quemadmodum corpora nostra sine mente, ita ciuitas, sine legibus nihil commodè, nihil sapienter, nihil utiliter efficere potest : profectò qui leges optimas constituit, quibus administretur rectè Respub. is omnium maximè ciuitati prodest. Quid enim sine legibus & cõsilio fortitudo prodest, aut bellica prudentia? Gessit bellum cum Xerxe Themistocles, & quidem nobilissimum, quo patriam à Persarum regio dominatu liberauit : sed nunquam id gessisset, nisi Arcopagi consilio decretum esset, quem Senatù antea Solon constituerat. Tam igitur Reipub. profuit, qui autor rei gerendæ fuit, quàm qui gessit : nisi enim ille statuisset, hic nunquam gessisset. Sed extollis eloquentiæ tuæ uires, & ais te posse togæ, belliq; consilia comparare, ciuiles castrensesq; labores conferre, eaq; passis eloquentiæ uelis exaggerare. Sit ita sanè: esto disertus, & eloquēs, id quod ego de te nunquam audiui: sed quid hoc loco tibi prodest eloquentia? num ut declamantium more res bellicas extollas, urbanas deprimas? Hæc quidem esset puerilis exercitatio, quo genere solent apud me nobilissimi pueri Mediolanenses ferè quotidie uti : posset hoc idem Marcus Fannianus discipulus meus, qui non ita pridem maxima

cum

cum hominum admiratione publicè de loco superiore in maximo conuentu Græcarum literarum cognitionem improbauit: nec minori facundia paucis post diebus eandem eruditionem diuinius propè laudibus exornauit, cum nondum duodecimum annum attigisset. Possset hoc idem T. Tonsus, Franciscus Bossius, Baptista Cusanus, nonnulliq; alij eximia spe, summaeq; uirtutis adolescentes, quos ego summa cum uoluptate declamitare doceo. Sed hæc nõ eius sunt, qui Ciceronis impugnandi personam susceperit. Verum quia negare nemo potest, quin tantum Atheniensibus Solon, aut etiam fortasse magis quàm Themistocles profuerit: non hic diutius immorabor, ipsius Ciceronis uerba perpèdenda sunt. Nam cum ait Cicero, nihil Themistoclem dixisse, in quo ipse Areopagum adiuuerit: non hoc dicit, nullam unquam utilè in Senatu dictam à Themistocle sententiam: hoc enim non esset uerisimile, cum uirum prudentè fuisse Themistoclem acceperimus: quippe qui oraculum interpretatus sit, quod iubebat, ut se ligneis mœnibus Athenienses tutarentur: Sed nullam legem, nullum institutum, nullum Senatuscõsultum, nullum ordinem à Themistocle fuisse constitutum: nihil quod ad Reipub. administrationè, & ad res urbanas pertineret: nihil quo leges Atheniensium, quo maiorum instituta seruantur: nihil deniq; quo Senatus melior, aut Areopagus excellentior fieret, ab eo dictum. Hæc sunt, quæ Cicero non minus egregia, quàm bellicas uirtutes esse censet: additq; præclaram eam sententiam, quæ certe est uerissima: Parua esse foris arma, nisi sit consilium domi. Proinde si uera fateri uoluerimus, dicemus, utranq; uirtutem, & bellicam, & urbanam æquè Reipub. cõducere. Non enim uideo, quid rei militaris scientia proficit, quum

nullis

nullis institutis, aut legibus, nulloq; sapientum hominum consilio ciuitas gubernatur. Nec rursus, urgentibus ex omni parte bellis, & hostibus, grauissima Senatus auctoritas quicquam proderit, nisi rei militaris periti duces & strenuissimi Imperatores adfuerint: —alterius sic

Altera poscit opem res, & coniurat amice.

A Ge uerò quid decimo loco uocas in disquisitionem? x
 Ego quidem certè non uideo, quid sit illud, de quo dubites, cum nulla Ciceronis uerba proferas, nullum notes locum, Prudentia (inquis) apud Aristotelem inter uirtutes architectonicae locum obtinet, utpote quæ cæteris imperet, & reliquas moderetur. Memini, locum esse apud Aristotelem magnorum moralium libro primo, circa finem, ubi docet, Virtutes omnes sub actionem cadere, quarum Prudentia tanquam architectus quidam sit: quoniam ut ipsa præscripserit, ita uirtutes, & quæ sunt ex uirtutibus, agunt. Sed quid hæc ad propositum? an quia non idem Cicero dicit, iccirco putas esse cõdemnandum? Ergo tu (si Dÿs placet) obijcies Ciceroni, quòd Aristotelis interpretes esse noluerit? Quod si in hac parte dissentirent inter se hi autores, fortasse posses aliquid contra dicere, ut Aristotelis sententiam confirmares. Sed cum ita conueniant, ut penè eadẽ dicere uideantur, quid est cur contra Ciceronem hiscere audeas? Diuidit Aristoteles Ethicorum primo uirtutes in duas formas, & alias δὲ ἀνομιλὰς esse dicit, alias ἠθικά: uel si Latine loqui malumus, alias in agitatione mentis esse constitutas, alias in moribus. In agitatione mentis Prudentiam statuit, in moribus Liberalitatẽ, Temperantiam, reliquasq; eiusmodi. Quid aliud efficit Cicero, cum ita proponit: Ordo autem & constan-
 tia,

tia, & moderatio, & ea quæ sunt his similia, uersantur
 in eo genere, ad quod adhibenda est actio quædam, non
 solum mentis agitatio. Hic sensus idem est, qui apud Ari-
 stotelem: quamuis uerba sint diuersa. Præterea uult Ari-
 stoteles Ethicorum sexto, Prudentis hominis esse, posse
 rectè consilium capere de rebus honestis & utilibus ad
 bene uiuendum: Prudentiamq; habitum esse, quo cum re-
 cta ratione Verum inuestigantes, in rebus humanis ali-
 quid agimus. Quid Cicero cum de Prudentia loquitur?
 Omnis (inquit) cogitatio, motusq; animi, aut in consilijs
 capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene
 beateq; uiuendum, aut in studijs scientiæ cognitionisq;
 uersabitur. Quid poterat similis dicere Cicero, si Ari-
 stotelis interpres esse uoluisset? Sed Socratè (inquis) Ari-
 stoteles repræhendit, quòd Prudentiæ nomine uirtutes
 omnes compræhenderit. Quid hoc autem ad Ciceronem?
 An fortasse tu ideo repræhendendum esse putas Ciceronem,
 quòd ipse Socratem, quæadmodum Aristoteles, non
 repræhenderit? Crede mihi, uerissimum illud esse, quod
 ait Cicero, Male institutam rationē exitum reperire non
 posse. Quid enim ais bone uir? cuius rei Ciceronem accu-
 sas hoc loco? dic aperte. At nihil est. Quid ergo uocas in
 disquisitionem? Nihil. Quid igitur? quid tibi uis? Nescio
 hercle, (inquis) nisi ut multos locos contra Ciceronē an-
 notasse uidear. Plato in legibus Prudentiam oculum, Iu-
 stitiam pulchritudinem, Temperantiam sanitatem, Forti-
 tudinem manum, animi uirtute instituti eleganter nun-
 cupabat. Euge uir doctissime, sapiēter, doctè, lepidè, lau-
 tè, nihil supra. Cur enim tibi hoc non gratificer, cum
 presertim tanquam Thraso quidam, nihil aliud quàm
 gloriam ambire uidearis? Quorsum enim hoc loco citas
 & laud

et laudas eam Platonis sententiam, nisi ut te Platonis fuisse studiosum ostentes? Quid est quod te transuersum ab instituto trahit? Dic tandem Posthume de tribus capellis. Hoc age amabo: non meministi te prouinciam impugnandi Ciceronis suscepisse? Quid ergo attinet Platonem laudare? Profer prius Ciceronis erratum: deinde uagare quantum libet. Quid nobis ad respondendum in ista disquisitione dedisti, bone accusator? Nihil, (ais) cum nihil impugnem. Atqui mirabar quidem, cum nihil uiderem. Detur igitur hoc imprudentiæ tuæ, quod sine causa, et imprudenter, ad prudentiæ reprehensionem ueneris, reliqua uideamus.

D Vplex iocandi genus ait esse Cicero: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modò Plautus noster, et Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam Philosophorum Socratici libri referti sunt. Tu uerò contra Ciceronem Horatii carmina de Plautinis iocis ac salibus obijcis: placet tibi tamen magis Ciceronis sententia. Hoc certè mihi uidetur monstri simile, ut in eo quod approbes, Ciceronem uituperes. Nam si tibi placet Ciceronis sententiæ, cur in disquisitionem hunc locum uocas? cur inter Ciceronianos errores hunc connumeras? Omnino uerū est quod paulò antè diximus, te nihil aliud spectasse, nisi ut multos locos in Ciceronem annotasse uidearis. Mihi uerò satis est, ut quantum facultas mea fert, diuinum Oratorem ab insulsis tuis criminationibus liberem. Itaq; cum nihil hoc loco reprehēdas, otioso et quieto animo tecum agam, ut uehementius insurgere postea possim, cum opus esse uidebitur. Age ergo bone uir, narra mihi obsecro causam, qua inductus hunc locum annotaris,

ris. Vt ostenderem (inquis) Horatium à Cicerone dissentire. Esto : sed utram tandem sententiam probas? Horatij ne, an Ciceronis? Ego uerò (inquis) longe meliorem Ciceronis sententiam esse iudico. Cur ergo hunc locum contra Ciceronem annotandum esse censes? Cur non potius aliud opus in Horatiū conscribis? Accusandus est Horatius in hac parte, non Cicero: cum præsertim illustrium autorum testimonio summam in iocis ac facetijs laudem Plautus sit consecutus: quam ipsemet Poëta suis carminibus apud posteros testatam esse uoluit: nam (ut scribit A. Gellius) hoc epigramma Plauti à M. Varrone positum est in libro de Poëtis primo:

Postquam est morte captus Plautus,

Comœdia luget, scena est deserta:

Deinde risus, ludus, iocusq; , & numeri

Innumeri simul omnes collachrymant.

Sed illud Varronis iudicium, uiri acutissimi, & omnium Latinorum doctissimi, plurimi faciendum est, qui in censura Comœdiarū, quas cunq; iocis & facetijs refertas esse uidebat, etiam si alterius essent inscriptæ nomine, tamē eas Plauto adiudicabat. Nec præmittendum illud Epij Stolonis elogium, quod à Quintiliano refertur: Musas ipsas, si Latine loqui uoluissent, Plautino sermone fuisse locuturas. Vt non dubium sit, quin Horatius aliqua maleuolentia uel inuidia ductus, de iocis Plautinis parum candidè iudicarit.

X I I S I M I L E huic est etiam quod sequitur, uel multò etiam Sineptius: nihil est enim in quo Ciceronem reprehendas, & tamen locorum numerum auges. Pulchrè (inquis) Aristoteles in Ethicis, & Plutarchus in commentario de Virtute morali ostendunt, inter Continentem & Incontinent

tinentem, Temperantem, Intemperantemq; quid differat. Deinde Aristotelis & Plutarchi sententiam exponis: Continens cum affectibus colluctatur, & uincit: Incontinens reluctatur quidem, sed uictus dolet. Contra Temperans nullam habet luctam, sed pacatis affectibus utitur: Intemperans uerò sine lucta manus dat affectibus. Hæc sanè præclare dicuntur ab Aristotele, & Plutarcho: sed quid ad hunc Ciceronis locum? aut quid ad officiorum præcepta, quæ tradit Cicero? Me certè iam dudum sup-
 pudet, his tam leuibus obiectionibus tuis diutius immorari: nec uideo quid respondeam tam ineptis accusationibus: hæc est enim (ut opinor) tua conclusio: Cicero non declarauit eo modo quo Aristoteles & Plutarchus, quid inter continentem & incontinentem interesset: & quid inter temperantem & intemperantem: ergo peccauit. Papæ, quàm acutè conclusum, quàm argutè, quàm ingeniose: omnino Chrysippeum hoc tuum est argumentum, aut siquid ualidius dici potest: hoc uerò Zenonis Achillem superat: digna res, propter quam damnetur oratorum Deus, quòd noluerit idem dicere, quod Aristoteles: aut quòd non prouiderit, quid multis annis postea dicturus esset Plutarchus. Sed dic mihi, quid prodest ad officia conseruanda, scire istam differētiam? Vel si profit etiam, cur censes damnandum Ciceronem, quòd noluerit eadem dicere, quæ antea dixerat Aristoteles? Quid si longè utiliora Cicero dicit in hac parte, quàm Aristoteles? Eadem ego ratione possem Aristotelem & Plutarchum damnare, quòd multa non dixerint, quæ diuinitus à Cicerone tractantur: ut si dicam, non esse usum Aristotelem ea pulcherrima distributione, qua Tullius utitur, cum de quarta honestatis parte uerba facit: In omni (inquit) actione
 d 2 suscip

suscipienda, tria sunt tenenda. Primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius. Deinde, ut animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere uelimus; ut ne ue maior, ne ue minor cura & opera suscipiatur, quam causa postulet. Tertium est, ut caueamus, ut ea quæ pertinent ad liberalem speciem & dignitatem moderanda sint. Et paulò post: Horum tamen trium præstantissimum est, Appetitum obtemperare rationi. Hæc sunt pulcherrima temperantiæ, seu moderatiõnis præcepta, quæ nusquam apud Aristotelem inuenies hoc modo distributa: quæ longe præstantiora sunt, atq; utiliora, quam statuere, quid temperans atq; intemperans inter se differant. Quis est enim tam rudis, aut rerû ignarus, quin intelligat, Temperantiã & Continentiã uirtutes esse; Intemperantiã uerò, & Incontinentiã uitiõsitates? Doce igitur me, qua ratione has fugiam, illas amplectar: & nihil ad officium conseruandum in hac parte mihi deerit. Quod cum efficiat Cicero, uides te aërem hoc loco uerberasse.

XIII

Quod uerò subiungis, uidetur aliquam potius habere uerisimilitudinẽ, apud eos præsertim, qui rem non acutè perpenderit: quòd à iucundo quoq; officium exquiri debere contendis. Sed tamen hoc etiam tuum argumentum molli (quod aiunt) brachio refellemus: neq; enim recte reprehenditur à te Cicero, quòd ab honesto atq; utili iucundum non separarit: propterea quòd nunquam accidit, ut de iucundo solo sit deliberatio: quod tibi homini plus satis audaci non uidetur: putas enim iucundum ab honesto atq; utili iure separari posse. Ita dum nimis cupidè Ciceronem accusas, ipsum etiam Aristotelem, quem unum ad impugnandum Ciceronẽ uideris ele-
gisse,

gisse, damnas. Docet enim Aristoteles iucundum cum utili atq; honesto ita coniunctum, ut separari non possit. Cuius uerba si diligenter aduertisses, nunquam tam temere Ciceronis distributionē improbasses. Cum enim Ethicorum secundo docuisset, Tria esse, quæ in electionem cadant, Honestum, Vtile, iucundum: rursus è cōtrario tria, quæ fugienda sint, Turpe, Inutile, Molestum: atq; in his omnibus uirum probum rectè se gerere, improbum uerò perperam: subiunxit, Voluptatem ijs omnibus, quæ in electionem cadant, adiunctam esse: ut quicquid honestum sit, atque utile, id etiam iucundum esse uideatur. Quare cum ab honesto, atq; utili trahitur officium, tunc etiam à iucundo trahi uidetur: eo quòd rebus omnibus expetendis (ut uult Aristoteles) iucunditas adiungatur. Sed ne quis me putet fingere, ipsius Aristotelis uerba recitabo:

Τῶν γὰρ ὄντων τῶν εἰς τὰς αἰρέσεις καὶ τῶν ὄντων
 τῶν εἰς τὰς φύγας, καλῶ, συμφέροντος, ἡδέου,
 καὶ τῶν τῶν ἐναντίων αἰσχροῦ, ἀσυμφέρους, λυπη-
 ροῦ, πᾶσι πάντα μὲν ταῦτα ὁ ἀγαθὸς καὶ ἠδονῶν-
 κός ἐστιν, ὁ δὲ κακὸς ἀμαρτυλικός. μάλιστα ἢ πρὸς
 τὴν ἡδονὴν. κοινῆτε γὰρ αὐτὴ τοῖς ζώοις, καὶ πᾶσι
 τοῖς ὑπὸ τὴν αἴρεσιν πρᾶξι καθεῖ. καὶ γὰρ τὸ κα-
 λόν, καὶ τὸ συμφέρον ἡδὴ φαίνεται.

Hoc etiam tu per imprudentiam fateris: ut non mirum sit, te in reprehendendo Cicerone cæcutire, cum ea quæ tibi ante oculos proposita sunt, non uideas. Ais enim Aristotelem dicere, Virtutē esse facultatem agendi res optimas circa uoluptatem. quod quidem est uerissimum, nisi quòd tu uocabulo Voluptatis abuteris, quod apud Latinos in deteriore partem serè capi solet, ut inferius osten-

demus. Sed queso te, declara mihi, nisi molestum est, quæ sint Res optimæ: Non ne uel honestæ, uel utiles? Nihil enim aliud expetendum esse uideo, nisi quod uel honestū, uel utile sit. Ergo uirtus agit res honestas & utiles cum uoluptate. quomodo igitur in exquirendo officio separatur ab honestate atq; utilitate Iucunditas? Sed Speusippus ait, Voluptatem congenitam esse nobis, atq; ob id maximè esse laborandum, ut eam moderemur. Sit ita sanè. Sed quid opus erat Speusippum in mediū adducere? cū hoc idem dicat lōgè grauior autōr Aristoteles: cuius hæc uerba sunt Ethicorum secūdo, ubi de uoluptate loquitur:

Ἐπίδ' ἐκ κηπίς πᾶσι ἡμῖν σωτέδραπτον, διὸ καὶ χαλεπὸν ἀποφίλαδ' τὸ πᾶθ' , ἐλευθερωσμενὸν τῷ βίῳ.

Neq; parua difficultas est in rebus agendis, bene ne, an male quis uel doleat, uel letetur: & quemadmodum dicere solebat Heraclitus, Longè difficilium est uoluptati, quàm iracundiæ resistere. Sed quatenus sit expetēda uel fugienda uoluptas, honestate atq; utilitate terminari debet: non enim quid fiat, sed quid fieri debeat, & quid officio conueniat, exquirimus. Nunquam igitur de Iucundo solo consultatio est, nisi fortè quis in Aristippi uel Epicuri castra se coniecerit, qui summum bonum in uoluptate constituebant. Quamuis clamet Epicurus, Non posse iucundè uiui, nisi cum uirtute uiuatur. Huius opinionem de summo bono, in fine tertij libri de Officijs Cicero damnat: ubi tu ais, in hanc Iucundi mentionem eum nolentem, aut aliud agentem incidisse. Perinde quasi non in principio statim operis de Iucunditate meminerit, & eam utilitati coniunxerit. Sed tu, quod pace tua dictum uelim, nimis negligenter atq; oscitanter Ciceronis ope-

*ra legis : atque ideo turpiter in mendacio deprehenderis , & putas ab eo prætermiffum esse , quicquid tu non aduerteris . Quare cape libros de Officijs , atque diuisionem illam de capiendo consilio , diligentiffimè relege : uidebis apertiffimè de Iucunditate mentionem à Cicero-
 ne fieri , sic enim ait : Triplex igitur est (ut Panætio uide-
 detur) consilij capiendi deliberatio : nam honestum ñe factu sit , an turpe dubitant , id quod in deliberationem ca-
 dit : in quo considerando sæpe animi in contrarias senten-
 tias distrahuntur . Tum autem aut anquirunt , aut consul-
 tant ad uitæ commoditatem iucunditatemq; , ad facultates rerum , atq; copias , ad opes , ad potentiam , quibus & se possint iuuare , & suos : conducat id nec ñe , de quo delibe-
 rant : quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit . Tertium dubitandi genus est , quum pugnare uidetur cum honesto , id quod uidetur utile . Hic (ut opinor) iam aperte uides de commoditate uitæ atq; iucunditate Ciceronem meminisse , uoluisseq; ab eo officium exquiri . Itaq; exem-
 pla ea , quæ tu in medium protulisti : Vtrum iucundius , an agriculturam exercere , an uxore ducere , an cœlibent uitam uiuere . Sic enim tu loqueris , (ut obiter de tuis ele-
 gantijs aliquid dicam) cum Latini scriptores de duobus tantum , nunquam de pluribus Vtrum dicant . Sed utcunq; tu loquaris , nihil curo . Deducuntur (inquam) hæc exem-
 pla ad uitæ commoditatem iucunditatemq; , quæ delibera-
 tio (ut ait Cicero) in rationem utilitatis cadit . Insulse igitur admiraris diuisionis membra Ciceronem non ampli-
 aisse , cum nihil penitus ijs membris opus esse uideatur . Nullam enim omnino uir probus , aut officij sui memor , iucunditatem quærit , nisi quæ uel ad honestatem , uel ad utilitatem pertineat*

d 4

Dupl

XIIII

DVplicem, ait Cicero, descriptionē esse Decorī. Nam & generale quoddam (inquit) decorū intelligimus, quod in omni honestate uersatur : & aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. Hoc neq; tu negare potes, neq; negas, esse quoddam Decorum quod intelligitur in omni uirtute : rursus alterum, quod ad singulos actus priuatos pertineat. Sed prius illud ais in natura absconditum esse, & ratione magis quam sensu dignosci. Atq; hæc eo uultu dicis, quasi sint à sententia Ciceronis aliena. Quorsum, obsecro, trahit te male dicendi cupiditas? An non hoc idem Cicero fatetur? aut quid aliud agit, cum ita proponit? Qualis autem differentia sit Honesti, & Decorī, facilius intelligi, quam explanari potest. Et paulò post : Est enim quiddam id quod intelligitur in omni uirtute, quod deceat, quod cogitatione magis à uirtute potest, quam re separari. Quid igitur hoc loco reprehendis? an fortasse quia Cicero Decorum illud uniuersalibus non comparauerit, quæ sensu percipi non possunt? quid opus est in hac parte collatione, cum ipsum Decorum uniuersale sit? Sed hoc tu uides esse leuissimum. Priuatum uerò decorum tibi uidetur locis, temporibus, personis, alijsq; delectibus circumscribendum esse : non quidem (inquis) more Poëtarum, apud quos turpes sententiæ laudantur, quum sunt turpibus personis attributæ, sed ciuilibus cuiusdam modestiæ respectu. Atq; eundem etiam in hac parte nihil à Cicerone te uideo discrepare : nisi quod non more Poëtarum (ut uidetur uelle Cicero) Decorum uis intelligi. Nam quod ais, Locis, temporibus, personis, alijsq; delectibus hoc decorū esse circumscribendum: idem est, quod his uerbis ait Cicero: Hoc Decorum, quod elucet in uita, mouet approbationem eorum
 quib

quibus cum uiuitur, ordine, & constantia, & moderatione dictorum omnium atq; factorum. Nam qui dictorum omnium atq; factorum ordinem & constantiam et moderationem seruat, is neque ad uirtutem hortabitur intempestiue, neq; fortitudine utetur quum parum oportebit, uel leuis causa urgebit, neq; in conuiuio seueritatē adhibebit, neq; puer de iustitia inter senes disputabit, quae tu forte putasti Ciceronis uerbis non esse compræhensa: quæ res omnino declarat, te uel non satis intelligere Ciceronem, uel eius opera negligentissimè legere. Quod autem dicis, non more Poëtarum Decorum esse consyderandum quemadmodum Cicero existimat: id uelim aliquibus argumentis à te probari. Neq; enim tu is es, cui tantam auctoritatem præbeat omnium eruditorum cōfessus, ut quemadmodum Pythagoræ discipuli solebant, illud dicere sufficiat, αὐτὸς ἴσα. Quis enim tu es? aut quod nobis tuæ maximæ sapientiæ specimen præbuiisti: ut magis tibi, quàm Ciceroni credamus? quamuis tu Ciceronis sententiā non intelligis, ut sæpius ingenij tui tarditatem rideam, quàm ob audaciam, & prauitatem indigner. Non enim ait Cicero, More Poëtarum nos decorum sequi debere: sed ex eo decoro, quod Poëta sequuntur, nos decorum illud intelligere posse: quod ita naturæ consentaneum sit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum specie quadam liberali. Sed est differentia: quoniam Poëta, quid quenq; deceat, ex persona iudicant: nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, præstantiaq; animantium reliquorum. Quocirca Poëta in magna uarietate personarum etiam uitiosis quid conueniat, & quid deceat uident: nobis autē cum à natura constantie, moderationis, temperantia, uerecundia partes date
d 3 sint:

sint : cumq; eadem natura doceat , non negligere quemadmodum nos aduersus homines geramus : efficitur, ut utrunq; decori genus intelligamus. Neq; enim Poëta facile scire possunt, quid quenq; deceat, nisi fuerint officiorum boni ratiocinatores, quod elegantissimè docet Horatius, his uerbis:

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis:

Quo sit amore parès, quo frater amandus, & hospes:

Quod sit conscripti, quod iudicis officium: quæ

Partes in bellum nisi ducis, ille profectò

Reddere personæ scit conuenientia cuiq;.

Sed exemplum illud de Mimo, quod in medium tu protulisti, quid aliud explicat, nisi ut unusquisq; diligenter uideat, quid personæ suæ consentaneum sit? ut hoc loco mihi tuam imprudentiam non mediocriter admirari ueniat in mentem, qui Ciceronem ideo reprehēdas, quoniam ex eo decoro, quod Poëta seruant, nos intelligere posse dixerit, quid nos deceat : & ipse paulo post Mimos nobis imitandos proponis. Neq; tamen exemplum tuum reprehendo, quoniam declarandæ rei propositæ satis cōgruit, sed importunitatem tuam rideo, qui nullis inductus rationibus ea damnas, à quibus in exemplo proferēdo non potes ipse recedere. Quid enim est aliud hoc, quod tu dicis: Egregius Mimus animaduertere debet, quid suæ personæ consentaneum sit: nam si paruus Hectorem agat, tum illud Antiochenorum in eum quadrabit: Astyanacten uidemus, ubi reliquisti Hectorem : nisi illud quod ait Cicero ? Sed tum seruare illud Poëtas quod deceat dicimus, quum id, quod quaq; persona dignum est, & fit, & dicitur : ut quemadmodum ait Horatius, si Achillis persona fingatur, sit

Impig

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi data, nihil non arroget armis,
Sit Medæa ferox inuicta q̄, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io uaga, tristis Orestes.*

*Neq; tantum in factis, sed etiam in dictis hoc decorum ser-
uare Poëtæ debent, ut unusquisque pro conditione sua
uerba faciat: nam, ut ait idem:*

*Intercrit multum, Dauus' ne loquatur, an Heros:
Maturus' ne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercator' ne uagus, cultor' ne uirentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.*

*hoc est decorum illud, quod tu locis, temporibus, perso-
nis, alijs q̄; delectibus dicis esse circumscribendum: ad cuius
similitudinem nobis Cicero præcepit, ut uideamus, quid
nos deceat, atq; illud diligentissimè seruemus, ut ordinem,
& moderationem sequamur: ut iustitiæ ac uerecundiæ
partes amplectamur, in quo maximè perspicitur uis de-
cori. Sed iam satis (ut opinor) planum ac manifestum est,
nihil esse quod hoc loco uituperes: ad alia transeamus.*

C*icero multis in locis nihil esse tam consentaneum na-
ture, quàm Virtutem affirmat. Aristoteles uerò in
ea animi parte, quæ ratione caret, uirtutem uersari scri-
bit. Præterea communis est (ais) Philosophorum assertio,
Virtutem non naturalem, sed nec præter naturam esse.
Quid ergo? uidetur errasse Cicero? quòd nihil tam con-
sentaneum esse nature, quàm uirtutem dixerit. Hic certè
locus subtiliter, & copiose tractari potest. Sed nos, ut
omnes intelligere possint, ἀναδίστατον καὶ σφαιρόσπον (ut di-
ci solet) agemus. Satis enim habemus hoc tempore, si Ci-
ceronem à criminationibus tuis liberemus: quamuis hoc
loco*

X V

loco te modestissimè geras : credo, quòd uideas nihil esse non præclarè dictum. Nam quos tumultus soles concitare, cum quid uerissimile contra Cicronem nactus fueris? Itaq; nullo modo tam modestus esse potuisses, siquid esset, quod à te uituperari probabiliter posset. Qua enim in re dissentit ab Aristotele Cicero? Affirmat (inquis) Aristoteles Virtutem non esse naturalem, propterea quòd ad eam acquirèdam longa opus est exercitatione: neq; quiscquam ita formatus fuit unquam à natura, ut sine studio & industria uirtute præditus esset. Quin ea quæ naturalia sunt, immutari nullo modo possunt: ut ignis nunquam deorsum tendit, neque terra sursum. Sed homo ex improbo fit bonus: & contrà, malus ex probo: quare uirtus non erit naturalis: Cicero autè quicquid est simplex syncerumq; id esse naturæ hominis aptissimum scribit. Quamobrem uidetur ab Aristotele discrepare. Mihi autem inter eos nulla uidetur omnino discrepantia. Neque enim ait Cicero naturalem esse uirtutem, quippe qui didicerat à Platone suo, quem libenter autorem sequebatur, in Protagora, Virtutem neq; natura, neq; sponte sua mortalibus innasci: sed doctrina, atq; exercitatione percipi. Verùm ait esse naturæ consentaneam: quod affirmat etiam Aristoteles, cum ostendit, Virtutem contra naturam non esse: sed nos ita formatos à natura fuisse, ut eam consequi possimus. Eius hæc uerba sunt Ethicorū secūdo:

οὐτ' ἀγαθὰ φύσει, οὐτε πρὸς φύσιν ἐγγίνονται αἰετῆσαι, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δ' ἐξασθαι ἀντὶς, τελευτῶντο δὲ ἴσθ' τὸ εὖδος.

Sed quoniam omnibus naturalis quedam cupiditas innata est, ut ad perfectionem tendant, & quæ bona sunt appetant, ut initio statim Ethicorum docet Aristoteles:

nihil

nihil autem ex omnibus rebus neq; perfectius, neque melius Virtute reperitur: consecrariū est, ut nihil tam consentaneum naturæ sit, quàm uirtus. Præterea nemini dubium est, quin homo rationem à natura sortitus sit, qua sola differt à reliquis animantibus, & similis Deo censetur. Virtus autem (ut eam in Rhetoricis definit Cicero) est animi habitus naturæ modo rationi consentaneus. Quin etiam in Tusculanis nihil aliud uirtutem esse uult, quàm rectam rationem. Vt id uerissimum esse uideatur, quod Seneca Philosophus è Stoicorum Schola præstantissimus scriptum reliquit: Omnibus hominibus naturam dedisse fundamenta, semenq; uirtutum. Quod multis argumentis in principio huius operis de Officijs Cicero demonstrat, Nam si nullum ad uirtutem homines haberent à natura præsidium, qua ratione possent eam adipisci? neq; enim si naturæ contraria uirtus esset ex aliqua parte, ut tu uideris uelle, ulla ratione possent eam homines consequi. Refugit enim natura, quæ cōtraria sunt, neq; ea potest unquam admittere. Nam eodem in loco duo contraria nullo modo possunt eodem tempore consistere. Quod autem ad sententiam tuam confirmandam hæc uerba tanquam Platonis testimonium ex ipsius Gorgia citas:

Ὅτι τὰ πολλὰ γὰρ ταῦτά, φασιν, γινώσκια ἀλλήλοις ὄσιν, ἢ τε φύσις καὶ ὁ νόμος.

mihi uideris parum omnino, uel nihil potius ea quæ legis considerare. An illud te præterit, in Dialogis Platonis varias esse personas, quæ colloquantur? atque interdum nonnullos introduci, qui res absurdas & inanes, aut uulgares affirmant, ut eas postea Socrates, aut aliquis alius refellat? hac ratione posses affirmare iustitiam à Platone reprobari, quoniam apud eum secundo de Repub. li-

bro

bro Glaucō atq; eius frater Adimantus contra iustitiam multa disputant. uidendum igitur cuius sint ea uerba, quæ tu pro testimonio citas ex Platone: sic enim facile apparebit, an ea sit Platonis sententia. Nam cum apud eum in Gorgia (sic enim Dialogus quidam eius inscribitur) multa præclare Socrates cum Gorgia Rhetore, atq; eius discipulo Polo disputasset, ambosq; tandem dare manus, & se uictos fateri coëgisset, aderat iuuenis quidam, eloquentiæ studijs deditus, Callides nomine, cui nullo modo quæ diuinitus à Socrate dicebantur, placere poterant: Itaque cœpit multis uerbis Socratem repræhendere, & Philosophiæ studium improbare: qua in oratione, cum multa absurda atq; inania dixit, tum id etiam quod tu (si Dijs placet) pro Platonis testimonio nobis adducis, quòd scilicet Lex & natura sint inter se contraria. Quæ cum ita sint, quis non te meritò rideat, & tanquam insani hominis commentationes tuas aspernetur, ac negligat, qui uirtutem naturæ contrariam esse censes, idq; putes etiam à Platone censeri? Nam si præter naturam non est, ut tu paulò antè confessus es, quomodo naturæ potest esse contraria? Deinde quis nescit, à Philosophis doceri contrariorum eam esse naturam, ut aliud alterũ expellat? Quòd si uirtus est naturæ contraria, sequitur ut cum homo uirtutem amplectitur, naturam amittat. qua re quid dici potest ineptius, aut absurdius? Præterea necesse est (ut docet Aristoteles) contraria sub eodem esse genere, & plurimum inter se differre, Virtus autem & Natura neque sub eodem genere sunt, neq; plurimũ differunt. nam Virtus est qualitas, Natura uerò substantia. Deinde ratio, quæ naturam hominis informat, uirtutem semper appetit, & cum ea quasi connexa est, & quasi conglutinata.

Non

Non sunt igitur uirtus & natura contraria. Sed quid in hac parte diutius immoror, quæ clarissima est, & pluribus alijs argumentis intelligi potest? Nemo est enim tam tardi ingenij, tam mala mente, quin audito Virtutis nomine, non moueatur: & eos, in quibus maximam esse uirtutem intelligit, nõ admiretur. Petas ab improbissimo quouis, & profligatissimo homine, an Virtutem diligat, an eam habere uelit, an uelit omnium optimus, & sapientissimus esse? Non est dubium, quin eius rei se cupidissimum fateatur. Quin si quis improbum eum appellarit, maxime se læsum arbitrabitur, uoletq; digladiari, atq; armis probare, se uirum bonum esse. Tantus est innatus nobis, & à natura donatus Virtutis amor. Quod autem scribit Aristoteles in ea parte animi, quæ rationis expers est, Virtutem uersari: id non est contra Ciceronis sententiam: quin potius ita conuenit, ut nihil similius esse possit. Cùm enim duplex sit animorum uis, atq; nature una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμή Græcè, quæ hominẽ huc atq; illuc rapit: altera in ratione, quæ docet et explanat, quid faciendum, fugiendumq;. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet: uirtutis autẽ laus in eo maxime perspicitur, cùm ita efficiamus, ut appetitus rationi obediat, eamq; neq; præcurrant propter temeritatẽ, nec propter pigritiam, aut ignauiam deserant, sintq; tranquilli, atq; omni animi perturbatione careant. Quo fit, ut rectè dicat Aristoteles, Virtutem in ea parte animi uersari, quæ caret ratione: quoniam ea rationi quodammodo semper repugnare uideatur. Et hoc est quod Diuus Paulus testatur, se habere aliam legem dominantem membris suis, & menti suæ repugnantem: quam nos legem intelligimus Appetitum esse: qui cùm uagatur longius, relinquit &

abije

abijcit obedientiam, nec rationi paret, cui subiectus est lege naturæ. Quare contrahendi sunt omnes appetitus, sed dandiq; nequid temerè ac fortuitu, inconsideratè, negligenterq; agamus. ex quo sine dubio uirtus omnis elucebit. Cùm autem ex animantibus omnibus unus homo rationem habeat à natura datam, qua contrahere possit appetitus, neq; præstantius quicquam efficere possit: sequitur, ut naturæ hominis (ut ait hoc loco Cicero) nihil sit tam consentaneũ, quàm uirtus. Natus est enim (ut ait Aristoteles) homo ad intelligendum, & agendum: nihil autem sine prudentia rectè potest intelligi, nec agi, sine iustitia, fortitudine, & tēperantia. Quare ita generatus est homo à natura, ut ad omnem uirtutē factus esse uideatur.

XVI

TAmen à malitia non discedis, reuenterisq; ad officij diuisionem, qua secũdo loco Tullius utitur, atq; eam reprehendere audes, nulla inductus ratione, nullo exemplo, nulla autoritate. Cùm enim duplicem de officio questionem esse dixisset, unam quæ pertinet ad finem bonorum, alteram quæ posita est in præceptis, quibus in omnes partes uitæ usus confirmari possit, aliam etiam officij diuisionem esse dixit: nam & medium quoddam officium (inquit) esse & perfectum. Perfectum officium, Rectum opinor uocemus, quod Græci *κτὸς ποῦνα*: hoc autem Comune officium uocant, atq; sic definiunt, ut Rectum quod sit, id perfectum esse definiant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit: hæc Cicero. Sed tu, nescio quo supercilio, aut qua fronte, officium hoc, quod à Cicerone Perfectum dicitur, ais tibi longè imperfectissimum uideri: quippe qui longè aliter hunc locum interpreteris, quàm Cicero sentiat: quæ sola ferè tuæ temeritatis causa est. Nam quæcunq; tu

non

non intelligis, in eis errorem esse putas. Quid enim, per Deum, in hac diuisione reprehendis? aut cur hoc officium, quod Perfectum appellat Cicero, tibi longe uideatur imperfectissimum? quoniam hoc illud est (inquis) quod flecti nequit, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habere potest. Sed quis hoc tibi concesserit? aut quis perfectum officium ita definit? Hoc à Ciccerone certè non habes, sicuti neque ea quæ sequuntur. Sed hoc prius uideamus. Quid ais uir acutissime? quod officij genus nobis adducis, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum ratione habeat? quis unquam tale officium constituit? hoc ne apud Philosophos reperisti? an, quod uerisimilius est, somniasti? Vnde, quæso, dictum est Officium? non ne ab eo, quod effici debeat? sicuti $\kappa\alpha\theta\alpha\rho\upsilon\sigma\eta$ apud Græcos, ab eo quod conueniat? Quis est autem tam hebes, aut rudis, qui existimet decere, aut conuenire in rebus agendis, neque loca, neque tempora, neque personas consyderare? Atqui omne officium in actu aliquo semper esse necesse est: nullus autem actus dici, aut excogitari potest, cui non sit locus, tempus, & persona aliqua coniuncta. Quare necesse est, ut hæc etiam adsint officio: quod quoniam semper agit cum ratione, fieri non potest, ut locum, tempus, & personam non consyderet. Non erit igitur officium illud, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habebit. At tu tam insulsus es, ut id à Ciccerone putes Perfectum officium appellari, quod officium esse nullo modo potest. Addis præterea rem absurdissimam: nempe, Perfectum hoc officium obstinatis animis esse, qui à summo rigore nulla ratione deduci possint: ita ueluti Araneus quispiam ex te fingis, quod nusquam apud autores inuenitur, neque cuiquam erudito

e

prob

probari potest. Verum illud unum à te peto, utrum officium semper putes rationi consentaneum, nec ne? Si non, erit aliquod officium sine ratione, uel rationi dissentaneum: quod fieri nullo modo potest. Vt enim sit aliquod officium sine uirtute, quod alibi docuimus: nullum tamen erit unquam alienum à ratione: uel te autore, rationis expertes animantes officiorum præcepta docendæ sunt. Si etiam: quomodo igitur aliquando rationi repugnabit officium? Hæc enim omnino sunt inter se repugnantia, rationi consentaneum esse officiū, & à nulla ratione deduci posse: quam tu detrahendi studio atque cupiditate cæcus, repugnantiam uidere non potuisti. Itaq; ueluti delirus quispiam senex progredieris in incepta nugatoria criminatione: Hoc (inquis) Diogenes utebatur, hoc Timon ille *μωτὸν ἄνθρωπον*, hoc Stoici, qui a lapam incutere, & parentē iugulare, par crimē putant. Credant hæc omnes eruditi sine teste Calcagnino, tanquam oracula quedam ex adyto: quoniam uir est tanta eruditione, atq; autoritate, ut quicquid dixerit, sanctum esse debeat. Ergo Diogenes, Timon, Stoici perfecto utebatur officio? Quis hoc affirmat, præter te? nam hercle, neq; ego, neq; quisquam (ut arbitror) paulò doctior audebit affirmare. Vult enim Cicero Perfectum officium esse, quod rectum est: hoc est, ut ego interpretor, quod honestum est, & laudabile. Illi uerò quos tu perfecto officio dicis usos fuisse, quot modis à recta uia deflexerūt? Quis Diogenis impudentiam, atq; adeo Cynicorum omnium turpitudinē honestam, aut rectam fuisse dicet? quos nihil pudebat in foro coram multitudinē, ueluti sues aut canes, cū mulieribus coire? Quis Timonis immanitatem atq; impietatem laudabilem existimet, qui omnes cōgressus hominum fugiebat, neq; ullam

omn

omnino partem humanitatis amplectebatur? Quis rectè Stoicos sensisse putet, qui eadem pœna dignū esse censebant, qui gallum gallinaceum, & qui parentem necasset? Non ergo isti Perfecto sunt usi officio, quoniam plurima non rectè senserunt. Cicero autem Perfectum officium id esse uult, quod est rectum. Quòd uerò Perfectū officium in iudicijs idem esse censet, quod Summum ius, à nostris, à Græcis ἀριβοδικαίον uocatur: non possum imperitiā tuam, & ingenij tarditatem non accusare, qui neq; uerborum significationes intelligas, neq; autorum sententiam percipias. Summū enim ius appellant Latini scriptores, cum de uerbis iuris contenditur, neq; scriptoris uoluntas consideratur. uoces enim ac literæ legum quasi summa superficies est. Itaq; tunc ab æquitate maximè discedunt homines, cum scriptis uerbis pertinaciter hærent, neq; cogitant, quid æquum & bonum postulet. Hanc Cicero malitiosam iuris interpretationem appellat, & inter iniustitiæ genera connumerat. eius hæc sunt uerba: Existunt etiam sæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione, ex quo illud, Summum ius summa iniuria, factum est iam tritū sermone prouerbium. hoc quidam iurisconsulti Ius strictum appellant, ut scribit Budæus: Aristoteles ἀριβοδικαίον uocat, quasi ius exactius, duriusq; & qui illud æquitati præferunt, ab eodem ἀριβοδικαίοι dicuntur, quasi præduri interpretes iuris, quasiq; deterioris iuris studiosi, atque usurpatores. Hinc Latini Summo iure agere dicunt, pro eo quod est, non ex æquo & bono, sed tantum uerbis & literis: quod ita esse declarat his uerbis Cicero pro Cecinna: Nam ceteri tum ad istam orationem decurrunt, cum se in causa putant habere æquum & bonum quod defendant. Si con-

trà uerbis & literis, & (ut dici solet) summo iure contenditur, solent eiusmodi iniquitati boni & equi nomen dignitatemq; opponere. Vides quàm imperite, & insulse tu Summum ius, & Perfectum officium, idem esse censueris: cum hoc loco Cicero Summum ius, iniquitatem appellet. Nisi fortasse uis, iudicem tum maxime perfectum officium sequi, & quod rectum atq; honestum est iudicare, cum ab equitate discedit, & uerba tantum legis considerat: quo quid absurdius dici potest? Quin etiam illud maxime ridiculum est, quòd ais, ab hoc officio perfecto effici homines inclementes, inexorabiles, & quales à Grecis *κράδεις* appellantur. Itaq; tua sententia quod rectum est, atq; honestum, immanes homines, atq; efferratos reddit. Homine acutum, & ualentem Dialecticum, qui harum rerum repugnantiam non uideas. Iam te autore, uites toxica ferent, & ficus cicutam. Quid est enim tam recto contrarium, quàm implacabilitas & inclementia? quæ cum adfuerit, omne perturbat officium, nec ullum equitati relinquit locum, aut pietati. Quo fit, ut clementia tantopere laudetur à Cicerone, ut dicat, nihil eà laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius: & in Cæsare laudando non dubitat præclarissimis eius rebus gestis, & uniuersis uirtutibus reliquis clementiam antepone. Quid igitur est? Nihil aliud certe, nisi quòd hæc officiorum genera distinguere non didicisti. Neq; enim Perfectum officium id esse dicitur, quod flecti nescit, aut quod neq; locorum, neq; temporu, neq; personarum rationem aut delectum habet: nullum enim officium est eiusmodi, ut docuimus, nedum sit perfectum. Verum id appellant Philosophi Perfectum officium, quo rectè & perfectè omnia fiunt, quod ex omni parte honestatem attingit, quo in rebus

bus omnibus id uidemus, quod rectum sit, & cum laude coniuñctum, idq; efficitur: differtq; à Medio officio: quoniam perfectum semper est cum uirtute atque honestate coniuñctū, atq; eiusmodi, ut de eo dubitari nunquam possit, quin sit rectum, & laudabile. atq; ideo cōmune etiam dicitur, quoniam ad omnē honestatem pertinet. Medium uerò potius in singulis actionibus perspicitur, cū ea facimus, quæ ratio nobis dictare uidetur. quod quamuis aliquando non rectum appareat, tamen cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Ita sit, ut Rectum officiū uel Perfectum in eis rebus sit, quæ per se tantum expetuntur, & ad finem bonorum pertinent: Medium autem ad institutionem uitæ communis accommodetur. Hoc etiam declarat ipsum Græcum uocabulum *κατὰρθωμα*, dictum à uerbo *καθάρθω*, quod apud Aristotelem, & Platonem semper ita accipitur, ut significet cum uirtute aliquid, atq; excellenter efficere: apud Historicos prosperum successum habere. Hinc etiam dicta est *κατὰρθωσις*, quam rectam effectiōnem interpretatur Cicero, sicuti *κατὰρθωμα* rectū factum, quod omnes numeros uirtutis contineat, ut apud ipsum Ciceronem tertio de Finibus attestatur Cato. Meritò ergo Perfectum dicitur, quod uirtutum omnium cumulum absoluerit. Quidam ex Græcis ita definiunt: *κατὰρθωμα* ἢ *πρᾶξις ἀκόλυθῶς ὁρθῶ λόγῳ*, ἢ νόμῳ *πρῶταγμα*. quæ definitio cum Ciceronis sententia pulcherrimè conuenit: neq; enim aliud est Rectum officium, hoc est perfectum, quam actio quædam, quæ rectam rationem sequatur, & ea seruet, quæ legibus optimè sunt instituta: quod proprium est sapientis hominis officium. Atque ideo nonnunquam Aristoteles uirum bonum *καθάρθωμῶν* appellat: propterea quod τὸ *κατὰρθωμα* seruare didicerit. Nominatim autem

Ethicorum secundo, cum tria dixisset esse, quae expetantur, Honestum, Utile, Iucundum: atque item tria, quae fugienda sint, Turpe, Inutile, Molestum: statim haec uerba subiunxit: *περὶ πάντων ὡς πάντα ἰσχυρὸς καὶ ἁπλοῦς* ἔστιν ὁ ἄνθρωπος ἀνδραγαθός. in his omnibus (inquit) uir bonus recte agit, malus autem peccat. Cum igitur planum ac manifestum sit, officium perfectum commune esse ad omnem honestam actionem, quid in mentē tibi uenit, ut illud in tantis angustias, & Stoicorum dumeta compelleres? armatresque non tantum seueritate, sed etiam rigore, atque immanitate quadam, à qua nulla ratione deduceretur? Equidem spero fore, ut si quando in manus hominum haec mea defensio uenerit, omnes boni & eruditi uiri stultitiam tuam, atque audaciam uehementer improbent: temerarij uerò, ac tui similes, non ita facile probatos autores reprehendere audeant.

XVII

NAm quòd sequenti capite Ciceronem accusas, quoniam ubi de Prudentia, ac Sapientia agendum proponit, utranque uidetur ita commiscere, ut non facile intelligas, quid Prudentia à Sapientia differat, quod uel sit utriusque munus: non dubito, quin omnes agnoscant, te Latinam linguam nunquam didicisse, qui nescias, apud Latinos scriptores Sapientiae nomine Philosophandi rationem omnē contineri, uel quae de uita & moribus traditur, uel de natura & rebus occultis, uel de differendo, & quid uerū, & quid falsum, quid rectum in oratione prauum uel, quid consentiēs, quid repugnet, iudicando. Quas qui adepti fuerint sciētias, illi prudentes à Latinis appellari solēt: ut in libro de Claris oratoribus Cicero tradit, omnes serè Stoicos in differendo prudentissimos esse. & in libro de Amicitia, L. Acilium prudentem in iure civili uocat.

eat. & tertio de Oratore scribit, Romanos, qui excellere sapientiæ gloria uellent, omnia quæ ciuitas nosset, solitos esse complecti. atq; ibidem paulò post, Scipionem prudentissimum hominem appellat, propterea quòd excelleret sapientia. Hæc fuit (inquit) P. Craſi illius ueteris, hæc T. Coruncani, hæc pro aui generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia, qui omnes Pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus diuinis atq; humanis rebus referretur. Itaq; si tam Latinè loqui didicisses, quàm maledicere, non illud primum negares, Prudentiam, & Sapientiam eandem esse uirtutem. Placet igitur mihi primò declarare, quid apud Latinos Prudentiæ ac Sapietiæ uocabulum significet, deinde tuis argumentis respondere. Et quoniam nemo est tam iniquus iudex, qui Latini sermonis proprietatem, & principatum Ciceroni non facile concedat, utar eius ad hanc rem probandam autoritate. Primò igitur dico, Sapientiam tribus maxime rebus contineri: Nam & scientiam rerum diuinarum atq; humanarum, causarumq; quibus hæc res continentur, significat: & hæc per Antonomasiam propriè Sapientia dicitur, quam pauci tamen adipisci possunt: unde felix à Virgilio dicitur, qui potuit rerum cognoscere causas. Altera Sapientie significatio est, cum accipitur pro cognitione rerum multarum, longo usu acquisita: quo in genere artes omnes, & scientiæ comprehenduntur. Tertia, cum pro constantia, & moderatione rectè & honestè uiuendi capitur: atque hæc omnia prudentiæ nomine comprehenduntur, quamuis duobus in postremis plerunq; Prudentiæ uis appareat, eorum enim cognitio spectat ad actionem aliquam, omnium autem honestarum actionum Prudentiam esse moderatricem statuunt. Et quoniam officio-

Sapientia;

C A

rum

rum hoc loco præcepta tradit Cicero, quæ quatuor partium oriuntur ex aliqua, primo tractat eam partem, quæ in perspicuitate ueri, solertiaq; uersatur: hoc est, quæ ad scientias pertinet, & ad explicandam rationem rerum gerendarum, quæ rectissimè & Sapientia & Prudentia potest appellari. Quòd autem Sapientia nomen sit commune ijs rebus, quas paulò ante diximus, maxime perspicuum est: & de prima quidem significatione nemini dubium esse existimo. quis est enim qui nesciat, Sapientiam multis in locis à Cicerone sic definiri, ut dicat, Sapientiam esse rerum diuinarum atq; humanarum scientiam, cognitionemq; quæ causa cuiusq; rei sit. qua tamen definitione uidentur omnia comprehendì, quæ diximus. Ab hac doctrina septem illi apud Græcos uno tempore sapientes & habiti sunt, & uocati: quos tertio de Oratore docet Cicero fuisse prudentissimos, quippe qui omnes, præter Milesium Thalem, ciuitatibus suis præfuerunt. De secunda significatione plurima sunt exempla, sed illud in primis apud Ciceronè libro de Amicitia, ubi Fannius Lælium alloquitur hoc modo: Vnum te sapientem & appellant, & existimant. Tribuebatur hoc modò M. Catoni. Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio quodam modo: Acilius, quia prudens esse in iure ciuili putabatur: Cato, quia multarum rerù usum habebat: multa eius & in Senatu & in foro uel prouisa prudenter, uel acta constanter, uel responsa acutè ferebantur, propterea quasi cognomen iam habebat in Senectute sapientis. Ecce quemadmodum ad omnem cognitionem sapientia pertineat. Iam tandem errorem tuum agnosce, qui prudentiam neges esse sapientiam. Nam si L. Acilius iccirco sapiens est appell

appellatus, quòd esset prudens in iure ciuili : sequitur, ut prudentia sit sapientia : & si Cato, quia multarum rerum usum habebat, quod sine controuersia prudentis est, ideo sapientis cognomen sortitus est, nulla erit apud Latinos inter prudentiam & sapientiam differentia. quod etiam illud ex oratione pro Cecinna declarat, Sapiens homo, & multarum rerum peritus. Et illud ex libro de Amicitia, Te non solum natura & moribus, uerum etiam studio & doctrina esse sapientem. De tertia significatione exemplorum plena sunt omnia, quòd sapiens ille dicitur, qui bonis moribus sit imbutus, & rectè uiuendi rationem teneat, quod etiam Sotias ille Terentianus intellexit, qui cum eximios Pamphili mores audiuiisset, ita respondit, Sapièter uitam instituit. & Cicero de lege Agraria contra Rullum, Singularis homo priuatus, nisi magna sapientia præditus, uix facile sese regionibus officij, magnis infortunis & copijs continet. Hæc autem ea sapientia est, quæ uirtutes omnes moderatur, quæ alijs etiam nominibus appellari solet: nam & Recta intelligètia, & Definita moderatio animi, & Perfecta ratio, & Prudentia dicitur. Hanc in proœmio Rhetoricorum Cicero Rerum omniũ moderatricem uocat : & in Oratore, Rerum omnium fundamētum: ut hoc loco non iniuria principem inter uirtutes locum illi dederit. Hanc in libris de Finibus Prudentiam appellat, quam omnibus artibus attributam esse uult : sed præstat eius uerba recitare : Omnibus (inquit) artibus uolumus attributam esse eam, quæ communis appellatur Prudentia : quam omnes, qui cuiq; artificio præsumt, habere debent. Ex hoc certè loco perspicuum est, communem quandam esse prudentiam, quæ ad omnes scientias pertineat, quæ communi uocabulo dicitur

tur etiam Sapiencia. Sed hoc etiam apertius in Oratorijs partitionibus annotauimus, eandem uidelicet esse prudentiam & sapientiam, sic enim ibi uirtutes distinguit: Est igitur uis uirtutis duplex: aut enim scientia cernitur uirtus, aut actione. Nam quæ Prudentia, quæ Calliditas, quæq; grauiſſimo nomine Sapiencia appellatur, hæc scientia pollet una: quæ uerò moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius est munus in agendo, cui Temperantiæ nomē est. Hic uides prudentiam & sapientiam eandem esse. Quare poteram hoc in loco finem facere, cum satis à me defensus sit Cicero, nisi uelim etiam tua quedam argumenta refellere, & te mendacij, uel imperitiæ potius, arguere. Nam ubi nimis inuerecundè, atq; impudenter Ciceronem sui oblitum putas, atque ideo tanquam uictor lætitia gestiens, ac leuitatem animi quandam ostentans, à Cicerone ad Ciceronem appellas: ibi facile possumus intelligere, quod iam docuimus, nullam apud Latinos inter prudentiam & sapientiam, esse differentiam. Quorsum enim attinebat, ut Cicero Græca uerba usurparet, si Latina satis erant distincta? Videamus eius uerba, quò facilius criminationem tuam diluamus. Quid igitur ait Cicero? Nam cum omnis honestas manet à partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderacionis: hæc in deligendo officio sæpe inter se comparentur necesse est. Et paulò post: Princeps omnium uirtutum est illa Sapiencia, quam σοφία Græci uocant: Prudentiam enim, quam Græci ὀπίσθησι dicunt, aliam quandam intelligimus, quæ est rerum expetendarum fugiendarumq; scientia. Illa autem Sapiencia, quam principem dixi, rerum est diuinarum atq; humanarum scientia, in qua contine-

tur

tur Deorum & hominum communitas inter ipsos. hæc Cicero. Quibus tu putas aduersus se testimonium dicere: sed tu nimium negligenter eius uerba consyderas. Non enim docet hoc loco, quemadmodum tu existimas, quæ sit inter sapientiam & prudentiam differentia, quæ nulla est: sed quomodo Græci σοφίαν & φρόνησιν distinguant: nam cum dicit, Illa sapientia, quam σοφίαν Græci uocant: ostendit, aliam etiam esse sapiētiam, quæ σοφία non uocetur: atque ideo subiungit. Eam prudentiam, quam Græci φρόνησιν uocant, aliam quandam esse sapientiam. Itaque duas statuit sapientias, uel prudentias: unam, quam Græci σοφίαν, alteram, quam φρόνησιν uocant. Apud Latinos tamen omnis sapientia, prudentia uocatur: quod apertissimè non ita multo pòst his uerbis idem Cicero docet: Ita illi ipsi doctrinæ studijs, & sapientiæ dediti, ad hominum utilitatem suam prudentiam, intelligentiamq; potissimum conferūt. Tolle eam dictionem, Prudentiam, & loco eius statue Sapientiam, hoc modo: Ad hominum utilitatē suam sapientiam intelligentiamq; potissimum conferunt: atq; idem esse penitus uidebis. Etenim si recte uirtus omnis à Latinis in quatuor partes est distributa, quod secundo de Inuentione docet Cicero, in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam: illa sapientia princeps, aut uirtus non erit, aut prudentiæ nomine continebitur. Virtutem non esse dicere sapientiam, dementis est, cum rectissimè uirtutum omnium dicatur princeps Sapientia. Igitur sub Prudentia continetur. Quare tot argumentis uictus, fateare tandem necesse est, Prudentiam tanquam genus quoddam esse, quod omnē artem, omnem scientiam, omnē deniq; sapientiam complectatur. Illi uerò tuæ opinioni, quia nihil ad hunc locum facit, non respondebo: in
qua

qua dicis, Reluctante fortuna prudentiam nunquam finem suum assequi: cum præsertim eam existimem à Christiana religione longè alienam: & (ut uulgo dicunt) hæreticam. Itaq; uiderint alij: mihi satis est Ciceronem defendere. Quod autem dicis, Sapientiam in ijs tantum uersari, quæ semper eodem modo se habent, ut in diuinis & æternis: omnino falsum est. Nam non minima sapientiæ pars est, in sedandis animi cupiditatibus, & in efficiendo, ut appetitus rationi pareant. unde Socrates sapientissimus omnium fuit appellatus, non quòd diuina semper atq; æterna tractaret, quippe qui putaret, Quæ supra nos, nihil ad nos attinere: relictâq; cura rerum naturalium, ac cælestiū, omne suum studium ad formandos mores transfudit: diligenterq; cogitare cœpit, quid esset expetendum homini, & quid fugiendum: quod propriè prudentis officium est. Non ergo Sapiēs est appellatus, quòd eam esset adeptus, quam tu solam sapientiam esse censes: sed quòd hanc, quam Cicero Prudentiam appellat, exerceret. Quòd uerò prudentiam non circa uera & falsa uersari scribis, sed circa utilia, & inutilia, nescio quæ te agitet intemperies, ut Prudentiam esse uelis mercaturam quandam, quæ tantum de utili & non utili cogitet. Nullam ergo, te præceptore, prudentia partem honestatis attinget? non erit omnium uirtutum moderatrix? non erit rerum honestarum & turpium scientia? nesciet inter uerum & falsum distinguere? Quæ, malum, est ista tua prauitas, aut animi cæcitas, ut solos nobis mercatores prudentes esse persuadere uelis: cum apud Latinos nulla maior laus esse possit, quàm si quis Prudentissimus appelletur? eum enim demum omnibus uirtutibus exornatū intelligimus, quoniam uirtutes aliæ prudentiam, ueluti ducem, semper & ubiq;

ubiq; comitantur, neq; ab ea latum (ut dici solet) unguem discedunt unquam.

A Ge uerò quàm temere, quàm insolenter, quàm contumeliose Ciceronē inconstantiae damnas, ut omnem ei (si fieri potest) auctoritatem adimas, & tibi magnam ingenij gloriam compares. Siquidem inconstantia leuatur auctoritas, & damnandis aliorum erroribus solent homines plerunq; gloriam acquirere. Verùm fallit te incautum frigida calliditas tua: Nam Ciceronis auctoritas adeo firmis est nixa radicibus, ut nulla ui neq; conuelli, neq; labefactari possit. Tua uerò mala, atq; nugatoria accusatio, non errores damnat Ciceronis, qui nulli sunt: sed imperitiam, atq; malitiam tuam ostētat. Quid enim reprehendis hoc loco tot ambagibus? Nihil aliud certè, nisi quòd ait Cicero, Iusiurandum aliquando nō esse seruandum: ut si prædonibus (inquit) pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata nō est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc non fides esse debet, non iusiurandum commune. Non enim Falsum iurare, peierare est: sed quod ex animi tui sententia iuraueris, sicut uerbis concipitur more nostro, id non facere, periurium est. Scitè enim Euripides,

Iurauī lingua, mentem iniurata m gero.

Regulus uerò non debuit conditiones, pactionesq; bellicas, & hostiles perturbare periurio, cum iusto enim, & legitimo hoste res gerebatur, aduersus quem & totum ius feciale, & multa sunt iura. Hoc loco (inquis) mihi uidetur Cicero parum constantiam suam seruare, quum iurandum cuiquam arbitratur, quod mens concipiat, fieri non oportere. Et tibi uidetur quidem: sed quo tempore,

aut

aut qua diei parte? Non primo diluculo, ut opinor, sed à coena fortasse, cum furor accessit capiti numerusq; lucernis. Vbi enim est ista, quam accusas, Ciceronis inconstantia? nullam enim ego uideo. Quod iusiurandum (inquis) non semper seruandum existimat, praesertim cum in ijs libris decretis Stoicorum nomen dederit, apud quos nullus est tam grauis metus, qui in constantem uirum cadere possit, qui non malit mori, quam quicquam praeter dignitatem aggredi. Sed tu (quod pace tua dixerim) nimis ineptè Stoicorum hoc loco mentionem facis. Nam quamuis initio dixerit Cicero, se Stoicos in hoc opere potissimum sequi, non tamen haec officiorum praecipua ad solos Stoicos pertinent, sed ad omne genus hominum, quod his uerbis Cicero tertio de Officijs testatur: Haec igitur officia, de quibus his libris differimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientum modò propria, sed cum omni hominũ genere communia. Itaq; his omnes, in quibus est uirtutis indoles, commouentur. Quamobrem non quaerendum est in hac parte, quam positionem Stoici teneantur, sed quid officio conueniat aut repugnet, an liceat aliquando quod iuraueris non seruare: an contra officium faciat, qui Tyranno, aut praedoni fidem fallit. Non enim omnes qui ad iusiurandum coguntur, Stoici sunt, ut in eos nullus cadat timor, nulla perturbatio: quin potius nulli ferè, aut certè paucissimi reperiuntur, qui in magnis periculis atque calamitatibus non moueantur, aut animo cadant. Est enim naturale quiddam in animis nostris tenerum, atq; molle, quod periculo & miseria, quasi tempestate quatiatur. Veniat igitur iam illud solum in dubitationem, non quid Stoicum hominem deceat, sed an aliquando iusiurandum uiolari sine scelere possit. Quòd si,

praet

*prætermiſſa Stoicorum ſeueritate , diligenter quid ratio poſtulet, conſyderare uoluerimus : proſectò reperiemus, multa huiusmodi poſſe tempora accidere, in quibus quod iuraueris non ſeruandum ſit. Neq; enim uerum eſt, quod ais, Tacito quodam hominum iudicio conſtitutum eſſe, ut prædoni & ſicario fides ſeruetur. Quin potius (ut arbitrator) uix ullus reperietur tam religioſus, qui ſi potuerit eſt ſicariorum, aut piratarum manibus effugere, etiam ſi milles iuratus fuerit, ſe rediturum, reuertatur : neq; prædonum quenquam reperies, qui iureiurando contentus eum dimittat, quem captiuum fecerit, niſi aut fideiuſſorem dederit, aut aliquem charum, puta filium, aut fratrem, aut parentem, aut deniq; neceſſarium aliquem pro uade reliquerit. Quæ res omnino declarat, nullam eſſe iuriſiurandi cum prædonibus religionem : quippe quibus cum nulla debet eſſe ſocietas, nulla uitæ cõmunitas, nulla conuentio, nullum fœdus. Eodẽ enim animo debemus in prædones eſſe, quo ſumus in Tyrannos, quos Reipub. gratia quoquo modo de medio tollere ſemper gloriſiſſimũ fuit, ut apud Græcos olim Tyrannicidæ diuinos honores conſequerentur. Nulla enim nobis (ut ait Cicero) cum Tyrannis ſocietas eſt, ſed potius ſumma diſtractio eſt: neque eſt cõtra naturam, ſpoliare eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt neccare : atq; hoc omne genus peſtiferum atq; impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim ut membra quedam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cõperint, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. Non eſt igitur contra officium, fidem Tyrannis, ac prædonibus datam fallere, cum quibus nulla po-
teſt*

test esse pax, aut societas. Neq; est id periculum, quod tu frustra nobis intentas, ne uiolato hoc iureiurando, protinus materia detur ad maius nefas : perinde, quasi iam uiceris, hoc esse nefas : aut aperiat Cicero quasi fenestram ad maleficium. Nam qui intelligit maximam esse oportere iurisiurandi religionem apud omnes homines, quibus cum aliqua potest esse societas aut communitas: is, tametsi prædones sefellert, qui ab omni humano iure sunt alieni, non tamè protinus in alijs rebus ad periurium promptus erit. Neq; enim hoc est consecrarium, Prædones aut Tyrannum sefellisti, ergo tibi alijs in rebus fidendum non est : sicut illud Terentij: Nam qui fallere consueuerit patrem, tantò magis audebit ceteros, Ergo sublata hac causa, nihil est, quare fides prædonibus seruanda esse uideatur. Sed illud à te peto, utrum putes semper esse seruandum iusiurandum, an aliquando uiolandum ? Si semper seruandum est : sequitur, ut si Tyrannus, aut aliquis impius magistratus iurare per uim quempiam coegerit, ut patriam prodat, aut utrunq; parentem interficiat, id omnino sit faciendum. Quod certè, nisi penitus ratione careres, non audebis affirmare. Licet igitur aliquando quod iuraueris non facere, quin potius flagitium sit, & maximum scelus, si id facias. Quæ cum ita sint, uides te de illa sententia tua depulsum : neq; semper præstandum esse iusiurandum, cum huiusmodi tempora incidant, ut non facere quod iuraueris, nullum sit flagitium. Quòd si quando uiolare licet iusiurandum, tunc profectò uiolandum est, cum homines perditissimos, ac profligatissimos decipimus : quos perdere atque exterminare, si fieri posset, esset optimum. Quod uerò tibi non probatur, Falsum iurare, non esse peierare: nimis quidem crassa (quod aiunt)

Mincer

Minerua Periurium definis, si credis, omne falsum iusiurandum esse periurium: & Peierare nihil aliud esse, quam falsum iurare. Sæpe enim accidere potest, ut quis falsum iuret, neq; tamen sit periurus: ut si deceptus ab aduersario quispiam iuret: patet (inquit Aristoteles in Rhetoricis) id periurium non esse. Et si iuraueris, te daturum alicui pecunias, quas domi numeratas in arca te possidere putes: & domū reuersus, effractam arcam, & furto sublatis eas pecunias repereris, hic quidem nullum est periurium, cum tamen falsum sit iusiurandum. Et quem admodum sæpenumero fit, ut ea dicendo affirmemus, quæ minimè uera sint, quoniam esse arbitramur, neq; tamen mendaces habemur: ita sæpe falsum iuramus, neq; tamen peieramus. Est enim Peierare consultò, ac dedita opera, perperam, & contra leges, ac iustitiam, in alterius fraudem iurare. Non est igitur periurium, prædones fallere: non enim hoc est contra leges ac iustitiam. Nam si iustè possunt interfici, quantò iustius fallentur? & si leges permittunt, ut eos trucidemus, quantò magis, ut decipiamus? Licet igitur piratas & sicarios impunè persequi, spoliare, uulnerare, & denique omni cruciatu necare: & qui hoc faciunt, præmia sæpenumero consequuntur: & eosdem per iusiurandum fallere, te autore, non licebit? Cur ergo Theologi nostri fidem obstinato hæretico non esse seruandam cēsant? nisi quia religioso homini nullam esse cum eorum prauitate communionem arbitrantur? Quòd si fides hæretico non seruatur, neq; prædoni, aut sicario seruari debet. At Plato nos uetat peierare. Vctant etiam Christianæ leges, quæ longè maioris sunt ponderis, ac momenti, quam Platonice. Sed nos contendimus prædones fallere non esse peierare. Periurium enim omne con-

f. tra

tra iustitiam est, & omnia iura diuina atq; humana subuertit: quod autem in prædonum ac sicariorum perniciem aut fraudem committitur, id omne iustum ac legitimum esse nemini dubium est: quoniam huiusmodi pestis hominum quoquo modo tollenda est. Non est igitur, prædones fallere, periurium. At probè, & sanctè fecisse uidentur, qui nunquam iurandum esse monuerunt. Quis negat? siquidem id fieri potest. Nam qui cupidè iurare solent, ij faciliè periurium committunt. Non ergo iurare debet quisquam, nisi magna aliqua coactus necessitate. Atq; hoc modo Diuus Augustinus præceptum illud euangelicum interpretatur: Nolite iurare omnino. cuius uerba libet adscribere. Ita ergo præcepisse dominum intelligitur, ne iuraretur, ne quispiam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium delabatur per consuetudinem. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendam, refrænet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitas cogat. Ridiculum uerò quod Socrates uel per canem, uel per anserem, Zeno per capparim iuraret. Est enim iusiurandum affirmatio religiosa (ut ait Cicero) atq; ideo Diuus Hieronymus inquit, Qui iurat, aut ueneratur, aut diligit eum, per quem iurat, & Paulus ad Hebræos ait, Homines per maiorem se iurare debere, ut omnis controuersie finis sit iusiurandum. Neq; in scripturis sacris per Deum iurare prohibemur, sed per ea quæ sunt à Deo condita. Vult enim hunc à nobis honorem Deus, ut per ipsum solum iuremus, quasi eum conscientie nostræ testem adducamus: ut uideat quid mens concipiat fieri oportere. Si enim coacti iurauiimus non ex animi sententia, tum illud Euripidis iustè possumus usurpare,

Iuraui

Iuravi lingua, mentem iniuratum gero.

Non enim id facere te leges iubent, quod per vim coactus iuraueris: quod etiam Aristoteles primo Rhetoricorum libro declarat, quem locum si aut legisses, aut consyderasses, in hanc certè Ciceronis sententiã non esses argutatus. Nam illam tuam disputationem de Voluntario, & Violento, quam ex tertio Ethicorũ ad uerbum penè descripsisti, prætermittam: tantum dicam, te per negligentiam (ut opinor) non aduertisse, quæ ui aliqua coacti facimus ab Aristotele simpliciter ἀκούσια, hoc est, uolenta uel inuoluntaria dici, ut iusiurandum, ad quod per vim uel prædonum, uel Tyrannorum adigimur, rectè uolentum dici possit. Nam quamuis in potestate nostra situm sit, ut id uel suscipiamus, uel repellamus: simpliciter tamen, id non sponte facimus, sed ui extrinsecus adueniente, quæ maioris periculi timore nos iurare cogit: ut interim fileam, te id in disquisitionẽ uocare, quod nusquam Cicero dixit. Vbi enim loquitur Cicero de iureiurando uiolento? aut ubi dicit aliquem inuitum, & præter uoluntatem iurare? Ut liquidò constet, te hoc finxisse, quò facilius ostẽtare posses, te apud Aristotelem, cuius tamen supprimis nomen, quæ sit inter Voluntarium ac Violentum differentia didicisse. Cùm enim iuramus, ab aliqua maiori potestate coacti, non id quidem præter uoluntatem facimus: possumus enim non iurare, si uolumus, & potius mortem oppetere: sed uolentes iuramus, non tamen ex animi sententia. Nam si nulla uis adesset, non iuraremus. Hoc autem non facere, quod ui coactus iuraueris, nullum periurium est, quod his uerbis Rhetoricorum primo probat Aristoteles:

Ἐνύστατον γὰρ τὸ ἀδύνατον ὄντι, τὸ δὲ ὑποσπείναι ἀδύνατον
 f 2 xuy

κεῖν δὲ, τὰ δὲ βία καὶ τὰ ἀπάτη ἀκούσια. γινώσκουσι
 ἔν σωματικῶν καὶ τὸ ἐπιπολεῖν, ὅτι δὲ τὸ τῆ δια-
 νοίας ἀλλ' ὃ τὸ σῶματι.

Quæ uerba satis eleganter Trapezuntius uertit hoc mo-
 do : Iniuria enim ex uoluntarijs est , & Periurium iniu-
 ria est : cuncta uerò quæ ui , uel deceptione fiunt , inuo-
 luntaria. Hinc colligitur, quid Peierare sit: est enim men-
 te, sed non ore. Hæc Aristoteles, quæ ad amussim conue-
 niunt cum hoc, quod ait Cicero, Non enim falsum iura-
 re, peierare est : sed quod ex animi tui sententia iuraris,
 sicut uerbis concipitur more nostro, id non facere, periur-
 rium est. Hæc profectò uides quàm similia sint: quare aut
 absoluendus est ab hac criminatione Cicero , aut prius
 Aristoteles condemnandus. Prius enim ipse dixit, Periur-
 rium non ore , sed mente fieri. uerum uterque rectissimè
 sensit, nullum enim omnino maleficium committitur, cui
 non dolus malus, aut peruersa uoluntas accedat. A te
 uerò,

—uelut egri somnia uane

Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni

Reddatur formæ.

X I X

NAm quod argumentaris, à Cicerone non rectè di-
 ctum esse, Voluptatem omnem honestati esse contra-
 riam : quis est, qui non uideat, te pueriliter in ambigujs
 ludere? aut certè non intelligere, quæ sit Latini sermonis
 proprietas. Voluptas enim à Latinis duobus modis capi
 solet: aut propriè, aut translâtè. Propriè uoluptas ea di-
 citur, quæ sensus iucundè mouet, quæ boni naturam fall a-
 citer imitando adulterat, quæ est illecebra turpitudinis.
 Translatè, pro omni delectatione capi solet: ut in episto-
 lis, Ex tuis literis cepi incredibilem uoluptatem. & alibi:
 Capiebam animo non mediocrem uoluptatem. Cum igi-

100

tur affirmat Cicero, Voluptatem omnem esse honestati contrariam: eam intelligit, quæ proprie Voluptas appellatur. quam omnes Latini Voluptatem, omnes Danaï aut Mycenæses, Attica pubes, reliquiq; Græci ἡδονήν uocant. Tu uerò (si Dîs placet) Ciceronē propriē loqui, aut Latine docere uis. Sed omnino temerē nugaris, & tanquam culex (ut aiunt) elephantum Indicum insectaris: neq; aduertis, quid secundo de Finibus libro Tullius ipse uocabulo Voluptatis compræhendi doceat: audi igitur eius uerba contra sententiam Epicuri, & desine tandem oblatrare: Ergo (inquit) illi intelligunt, quid Epicurus dicat: ego non intelligo? Ut scias me intelligere, primū idem esse dico Voluptatem, quod ille ἡδονήν. & quidem sæpe quærimus uerbum Latinū par Græco, & quod idem ualeat, hic nihil fuit quod quæreremus. Nullum inueniri potest, quod magis idem declaret Latine, quod Græcè, quàm declarat Voluptas. huic uerbo omnes qui ubiq; sunt, qui Latine sciūt, duas res subiiciunt, Letitiam in animo, commotionem suauem iucunditatis in corpore. Nam & ille apud Trabeam Voluptatem animi nimiam Letitiam dicit, eandem quam ille Cæcilianus, qui omnibus letitijs letum esse se narrat. Sed hoc interest, quod Voluptas dicitur etiam in animo uitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiūt, sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui. Non dicitur letitia neque gaudium in corpore. In eo autem Voluptas omnium Latine loquentiū more ponitur, quum percipitur ea, quæ sensum aliquē moueat, iucunditas. Vides ut Voluptas propriē res uitiosa sit, & in animo, & in corpore? quid est autem magis honestati contrarium quàm uitiositas? sed nihil omnino legisse uideris, aut meminisse, qui nescias quàm

acriter Cato Maior apud Ciceronem in uoluptatem inuehatur, è quibus sunt illa Rhetorum fulmina: uoluptatis auidas libidines temerè & effrenatè ad potiundum incitari. Hinc patriæ prodiones, hinc rerum publicarum euerfiones, cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum deniq; scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido uoluptatis impellat. Stupra uerò, adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris excitari, nisi uoluptatis: quumq; homini siue Natura, siue quis Deus nihil mente præstabilius dederit, huic diuino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quàm uoluptatem: nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse omnino, nec in uoluptatis regno uirtutem posse consistere. Nec ita multò post pulcherrimam hanc sententiã addit, Impedit enim consilium uoluptas rationi inimica, ac mentis (ut ita dicam) perstringit oculos, nec habet ullum cum uirtute commercium. It' ne igitur tibi falli uidentur, qui uoluptatem ab honestate diremerunt, cui tanto p'ere sit inimica? Sed uoluptatem (inquis) non eam ego intelligo, quæ uirtuti contraria est: uerum eam, quæ ab honestate proficisci solet. Desine igitur ineptire, cum Latine nescias: nemo enim apud nos ita loquitur, ut tranquillitatem eam animi, & quietem, quæ ab honestate proficiscitur, uoluptatem appellet: cum uoluptas (ut ostendit Cicero) semper sit in motu, atq; ita definiatur, Voluptas est iucundus motus in sensu. uel ita, Voluptas est quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur sensibus. Quòd autem Honestas, & quæcunq; bona sunt, uoluptate careant, docet primo de Legibus his uerbis Cicero: Animis omnes tenduntur insidiæ ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet,

imit

imitatrix boni uoluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditijs corrupta quæ natura bona sunt, quia dulcedine hæc, & scabie carent, non cernuntur satis. Sed neq; apud Latinos inuenies, qui dicant, Honestatem esse uoluptatis effectricem. Pulchram, decoram, expetendam, laudabilem, honestatem appellamus: uoluptificam uerò (ut tu uis) non dicimus. Præterea beatos, & felices, qui omni sunt honestate præditi, uocare solemus: uoluptarios uerò nequaquam. Quòd si uoluptas (ut imperitè tu contendis) ab honestate non separatur, uoluptarius homo nihil differet ab honesto: qua ratione fiet, ut omnes adulteri, belluones, asoti, sardanapali, te magistro, quia uoluptatem amplectuntur, sint honesti? Rursus eòdem reuolueris, & ueram uoluptatè ais te, non libidines existimare, sed eam, quæ ab honestate nunquam abiungi potest. Non igitur errauit Cicero, sed tu, qui Latine non didicisti: cum nescias, quid uocabulo uoluptatis apud eos, qui propriè loqui uolunt, intelligatur. Sed Eudoxus summum esse bonum uoluptatem dixit: Aristoteles summum bonum sine uoluptate non constare uoluit. Estò: modò intelligas, eos abusos fuisse uocabulo Voluptatis: cum pro ea delectatione, quæ ab honestate percipitur, nunquam propriè Voluptas dici possit. Vnde meritò reprehenditur à Cicerone multis in locis Callipho, qui ad honestatem adiunxerit uoluptatem. Quid enim necesse est (inquit) tanquam meretricem in matronarum coetum, sic uoluptatem in uirtutum concilium adducere? reprehenditur etiam Epicurus, qui aliquam stabilem uoluerit esse uoluptatem. cum uoluptas tantum ea sit, qua sensus dulciter ac iucundè mouetur: quam etiam pecudes (inquit Cicero) si loqui possent, appellarent uoluptatem. Quin & Xerxes Persarum Rex,

f 4 quum

quum præmium ei proponeret, qui nouam uoluptatem inuenisset: non honestatem certè quærebat, sed eam, quæ sensum aliquem moueret, iucunditatē. & Plato cum escam malorum uoluptatē appellaret, quòd ea homines capiuntur, ut hamo pisces, omnino nihil ei cum honestate commune iudicauit. Et hoc est, quod ait Cicero: Maximas uirtutes iacere omnes necesse est, uoluptate dominante. & alibi: Voluptates blandissimæ dominæ maiores partes animi à uirtute detorquent. Sed quid exemplis immoror, cum apud Latinos contendam, uoluptatem quæ proprie dicitur, semper esse uitiosam, nec ullam unquam honestatis partem attingere posse? nisi fortasse quis Epicuri sententiam sequi uoluerit, & cum Epicureo Poëta Lucretio furore correptus, clamet hoc modo:

Aeneadum genitrix, hominum, diuùmq; uoluptas
Alma Venus.

Hoc enim Philosophorum genus Deos iccirco beatos & æternos putabat, quòd in perpetuis essent, ac summis uoluptatibus. Itaq; merito ridetur à sapientibus uiris.

x x **V**ariè me afficiunt istæ tuæ disquisitiones. Nam aliquando mihi necesse est indignari, cum te tam arroganter insurgere uideo, tamq; petulanter in grauissimū, & eloquentissimum omnium autorem inuchi: nonnunquam uix possum risum continere, cum diligentius rationes & uerba tua perpendo, quæ nihil à puerilibus fabulis, & delirantiū somnijs differre uidentur: est etiam, cum aliquid mihi primo aspectu uideris dicere: sed tandem ubiq; depræhendo, nihil tuis nugis inanius. Hoc autem in loco mihi potius ridendum, quàm indignandum puto: cum te satis egregiè uideam insanire, neq; quid aut tu dicas, aut Cicero sentiat, cogitare. Cum enim de Artificijs, &

Quæst

Quæstibus hoc loco Cicero tractet, qui liberales habendi, & qui sordidi sint, Mercaturam dicit, si tenuis est, sordidam putandam: sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisq; sine uanitate impertiens, non admodum esse uituperandam. Tu uerò non putas hanc sententiam rationi consentaneam: quòd dicas, de Mercatura in uniuersum quæri oportere, probanda, an improbanda sit. Si probanda est, (inquis) profectò tam probari institorem oportet, qui cymbam onustam pipere, quàm qui ingentem onerariam nauem ultimis ex regionibus adduxerit. Maximè uerò pertinui illa tua uerba ex intimo artificio deprompta, & ab Aristotelis Myrothecijs recens eduçta. Non enim hic (inquis) quæstio est de rei quantitate, sed de qualitate. Nam quis est, obsecro, mercator ille tam confidens, qui non maiorem in modum pertimescat, si audierit mercaturam suam ad Dialecticorum scopulos & syrtes, hoc est, ad quantitatem aut qualitatem trahi? Prò bone Iuppiter, quid faciam in ista Quantitate aut Qualitate tua? Ergo tu logica didicisti? Vide, nunquam quiui ego istuc intelligere. Certè si crederem te maiores progressus in Dialecticis facturum, abieçto clypeo statim aufugerem. Sed uereor ne si ordinem deseruero, Ciceroniani nominis amatores mihi λεωπρωξίς δουλὼ intendant, cùm semel hoc onus à consortio Musarum impositum susceperim, ut in arenam pro Cicerone descenderem. Incipiam ergo ensem dextra leuaq; rotare. Primùm, dico te Ciceronis sensum non intelligere: neq; hìc de ea qualitate, quam tu putas, esse quæstionem. Non enim queritur, Vtrũ honesta, an turpis sit mercatura: hoc est, utrum in ea uirtus, an uitium sit, ut tu existimas: sed utrum liberalis, an illiberalis haberi debeat: hoc est, utrum ingenui

f 5 homin

homines, atq; excelsio loco nati, debeant eam exercere: atq; in uniuersum ostendit, mercaturam aliquid habere, quod à nobilitate, atq; ingenuitate sit alienum. Non enim satis conuenire uidetur, ut homo nobilissimus, & sui municipij princeps, mercaturam exerceat. Sed tamē non est admodum ille uituperandus, qui magnam & copiosam exercet mercaturam, ita ut multa undique apportet, & multis sine uanitate impertiat. Omnis uerò tenuis mercatura, quia uidetur hominem ignobiliorē, ac uiliorem reddere, illiberalis, & sordida putanda est: cum præsertim in ea nihil, aut parum proficiant homines, nisi admodum mentiantur: nihil autem est turpius uanitate. Hæc fuit Ciceronis sententia, quæ pulcherrima est, & rationi consentanea, & consensu serè gentium omnium approbata: plurimis enim in locis Mercatores inter nobiles non habentur: in Italia quamuis suam dignitatem obtineant, non tamen habentur nobiles, nisi qui magna, atq; ampla negotia gerunt. Quis enim institorem eum, qui lintea, telam cannabeam, funes, uittulas uendat, liberalem existimet? At contra liberales habentur multis in locis, qui maximum lanæ, uestis stragulæ, gemmarum, aromatum, & rerum huiusmodi numerum aduexerint: ut facile possimus agnoscere, ueram hanc esse Ciceronis sententiam, quam omnino tu non intellexisti. Cum enim ait Cicero, tenuem mercaturam sordidam esse, non ita putare debemus, quasi uitiosam eam dicat, & tanquam flagitium aliquod fugiendam: sed eiusmodi, ut homini claro atq; ingenuo non conueniat. Quod si ita esset, ut tu somnias: hoc est, si omnes artes illiberales, ac sordidæ, turpes essent, atq; inhonestæ: sequeretur, ut omnes mercenarij, atque opifices, nihil aliud quàm scelera, & flagitia committerent,

rent, quoniam omnes in sordida arte uersantur. At tu tam crassus & pinguis es, ut putes hoc loco Ciceronem querere, utrum uitium, an uirtus in mercatura sit : & quia sordidam appellat mercaturam tenuem, tu contra ita argumentaris, Si uirtus inest, planè tota laudanda est : sin uitium, tota reiicienda. Quid hoc dilemmate tuo ualidius, aut firmitus inueniri potest ? planè Ciceronem hoc uno ictu prostraueras, si nemo tibi contradiceret. Sed dic mihi, quæso, bone Dialectice, quoniam de qualitate putas agendum, non de quantitate : potest ne esse uitium aut uirtus in mercatura ? Atqui nos alij, qui non tam acutè uideamus, & uitia, & uirtutes in animo esse arbitramur, non in mercatura : easq; esse qualitates eius generis, ut difficile possint ab animo diuelli, cum per diutinam consuetudinem adhæserint. Mercaturam uerò quodam in genere medio ponimus, ut in ea neq; uirtutem esse, neque uitium ullum dicamus, sed in homine qui illam exercet. Nam qui mentitur, fraudat, decipit, spoliat, in eo uitium est : qui uerò sine ulla uanitate, iustè & ingenuè nūdinatur & uendit, ille certè nullum committit uitium, sed magna potius laude dignus est. Vides igitur, te nihil illo tuo dilemmate penitus conclusisse : cum in homine, non in re, uitium aut uirtus sit : & ut ait Cornelius Gallus,

Non res in uitium, sed malefacta cadunt.

Potest enim aliquis in sordido, atque illiberali artificio uersari, & tamen erit probus, ac uirtute præditus : sicuti contra, scelestus homo nonnunquam liberalem artem exercet : nisi fortè putas Dionysium Tyrannum, & Nerone[m] Casarem quia liberalibus disciplinis (ut accepimus) erant dediti, iccirco probos atq; honestos haberi debere. Contra si Socrates ea qua fertur fuisse sapiëntia, pa-
tris

tris sui artem exercuisset, ideo futurum fuisse flagitiosum; & improbum. Non igitur in artificijs, siue illa liberalia sint, siue sordida, uirtus aut uitium inest: quoniam neque meliorem, neq; peiorem uirum efficiunt. Sed utcunq; sit, illud mihi satis est, quòd tu uel ipsa ueritate coactus, uel (quod magis credo) per imprudentiam fateris, Mercaturam eam, quæ in rerum magnarũ, magniq; sumptus conuentionibus agitur, illustriorem esse, non meliorem. Neq; enim Cicero bonas aut malas artes quærit hoc loco: sed aut liberales, aut sordidas. Non est autem dubium, quin liberales longè sint illustriores, quàm sordidæ: quantoq; minus sordidæ sunt, tantò fiunt illustriores. Itaq; cùm tu Mercaturam magnam & copiosam illustriore esse confiteris, tam tardus es atq; hebes, ut non intelligas, te nobis id concedere, de quo solo quæstio est. Quid igitur opus est, ut argumenta quæram? cùm tu in causa propria præuaricator sis, atque illam prodas? En hominem acutum, quem timeant omnes Cicerones, & Platonēs si reuixerint. omnino si Carneadi congregiendum fuisset tecum, ut cum Chrysippo solebat, ei necesse fuisset exorbere totas Anticyras: cùm enim te Dialecticum ostentasses, & de Qualitate uerba facturum esses pollicitus, ut nos Barones perterrefaceres, tandem pro leone murem ostendisti. At excurris in communem locum, & Mercaturam laudas, cuius ope factum sit, ut humano generi innumera commoda perueniant: & hoc (opinor) ut sciamus te Rhétorem etiam agere posse. Quid si ego, qui tam multa non profiteor, opponam tibi artes eas, quæ ministræ sunt uoluptatum? Cetarios, lanios, coquos, fartores, piscatores? à quibus humano generi non minora commoda, quàm à Mercatoribus proueniunt? iccirco ne istas liberales, appellab

pellabis? aut in eis laudandis pandes eloquentiæ tuæ uerba? Verùm odiosè Ciceronem cum Aristotele comparas, & ais Aristotelem rectius de Mercatura uerba fecisse. Sed profer, obsecro te, quæ melius ab Aristotele dicta sunt, ut diligentiam tuam in confrendis autoribus uideamus. Hæc fuit (inquis) Aristotelis sententia, ut Mercaturam, quæ distrahit ea quæ sibi profusius suppetūt, quæq; commodis hominum inseruit, eam recipiendam, approbandamq; existimaret. Contra, quæ uilius emit quædam, ut deinde carius uendat, eam prorsus exploderet, haud multo secus & quæ instrumēta luxuriæ suppeditat, esset è ciuitate iure exturbanda. Hæccine sunt, quæ dicis ab Aristotele melius, quàm à Cicerone præcepta fuisse? Primò, si tibi concedam, hoc uerum esse, nulla tamen erit culpa Ciceronis: non enim ideo damnandus est Cicero, quòd eo melius aliquid dixerit Aristoteles. Sed non sinam te ista frui uoluptate: nam nihil est de hac re dictum ab Aristotele, quod non idem longè politius, ac melius dixerit Cicero, cuius hæc tu uerba non considerasti. Primùm improbantur ij quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut sceneratorū: illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum, omniumq; quorum operæ, non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces autoramentū seruitutis. Sordidi etiam putantur, qui mercantur à mercatoribus, quod statim uendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec uerò quicquam est turpius uanitate. Opificesq; omnes in sordida arte uersantur: nec enim quicquam ingenuum habere potest officina. Minimeq; artes eæ probandæ, quæ ministræ sunt uoluptatum, Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius: adde huc, si placet, unguentarios, saltatores,

res, totumq; ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris utilitas quaeritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honestarum, hæ sunt ijs, quorum ordini conueniunt, honestæ. Mercatura autem si tenuis est, sordida putanda est: sin magna, & copiosa, multa undiq; apportans, multisq; sine uanitate impertiens, non est admodum uituperanda: atq; etiam si satiata quaestu, uel contenta potius, ut sepe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesq; contulerit, uidetur iure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Hæc tu cum legis, nonne cognoscis in eis eadem esse, quamuis elegantius tractata, quæ tantopere laudas in Aristotele? & nonnulla etiam pulchrè & prudenter addita? An ita cæcus es, ut hæc tam perspicua non uideas? Sed iam tempus est ab hac disquisitione tua recedere, in qua fortasse plus satis lusimus. Sed quid facerem? tu mihi fenestram aperuisti.

XXI

Rursus ad eandem quaestionem redis, quam secundo loco tractaueras, quod scilicet à Cicerone non sit definitum Officium: Atq; in hac parte satis uehemens uideris esse Dialecticus, qui non tantum Ciceronem impugnes, sed etiam ea quæ contra dici possunt, refellere contendas. Poterat enim aliquis ostendere, definitionem officij non esse prætermisam, cum post perfecti, & mediij officij diuisionem utriusque definitionem subiunxerit. Sed tu obijcis, multum interesse, an quis genus, an generis formas, differentiasq; definiat. Officium autem in Perfectum & Medium diuidi, quæ sunt officij formæ, uel differetia, quas qui definiuerit, non continuo tamen in commune offic

officium definiuisse existimandus est. Hæc tua ratio uera est omnino, quis enim negare potest? Sed nos longè aliter Ciceronem defendimus, neque hæc indagamus, quæ tu refellere possis: uerùm ea, quæ uerissima sint, ac firmissima, ut nullis amplius argumentis labefactari aut infirmari possint: cùm certum habeamus, nullum esse Ciceronis erratum in tot tuis disquisitionibus: nec dubito, quin omnes eruditi cùm hæc nostra legerint, statim iudicent, te non iustum reprehensorem, sed iniuriosum calumniatorem fuisse. Sed ad propositam quæstionem dico, Si quis ita definitionis uocabulum accipiat, ut nihil aliud significet, nisi quod tu existimas, declarationem rei per genus & differentias, aliquid posse dici contra Ciceronem, qui per genus & differentias officium non definiuerit. Sed cùm iam superius docuerimus, apud Latinos definire sæpissime idem esse quod distinguere, & omnes terminos ac fines alicuius rei completi: quid est, quod iterum in Ciceronem insurgas? cùm præsertim seias, in Topicis eum docere, Diuisionem esse definitioni attributam. Tunc enim ille rectè diuisisse dicitur, qui rectè definirit: hoc est, omnes formas, quæ sub aliquo genere comprehenduntur, persecutus fuerit, & eas intra fines suos reduxerit, neque ullam prætermiserit. Ut si quis dicat, omnem uirtutem aut prudentiam, aut iustitiam, aut fortitudinem, aut temperantiam definiri: rectissima hæc erit definitio, quoniam omnis uirtus sub eis formis complexa est. Quod si quis dixerit, omnem quantitatem aut longitudinem, aut latitudinem, aut altitudinem definiri, non rectam, aut integram rei definitionem afferet, non enim omnes quantitatis fines indagauit: cùm tempus, locum, numerum, orationem prætermiserit: ut si quis uniuersum orbem definiret Occidente,

Vert

Vertice aquilonari, Oriente, Circulo æquinoctiali, damnanda esset hæc definitio : quoniam etiam ultra æquinoctialem circumulum maxima pars orbis protenditur : pone quarto loco Polum australem, & erit definitio perfecta. nam orbis uniuersus his quatuor regionibus definitur, Occidentè, Vertice aquilonari, Oriente, Polo australi. Vt igitur ad propositum reuertamur, cum docet Cicero omnem officij quæstionem esse duplicem, uidentum est, an alia species officij sit aliqua, quæ non hac definitione contineatur : quod si qua est, ea proferatur, & accusetur Cicero : non enim ego repugnabo, si modò sit error manifestus : si uerò nulla est alia species, quoniam omne officium aut est perfectum, aut est medium: quid est quod in tam egregium præceptorem hiscere audeas, cum uideas officium rectissime definitum? Sed ais: ego non ita definitionem accipio. Quid igitur ego tibi faciam, si Latine non didicisti? nos quidem in hac significatione uerbum hoc à Latinis usurpari frequentissimè uidemus, ut non mirum sit, Ciceronem hoc loco Romanam potius loquendi consuetudinem secutum, quàm morosas Dialecticorum in loquendo superstitiones. Quod autem Cicero uoluerit definitionem, tanquam genus quoddam esse, quod diuisionem etiam complectatur, cum in Topicis aperte declarauit, ubi diuisionem & partitionem definitioni attributam esse docet, tum etiam secundo de Finibus, quamuis non tam aperte, ubi hæc uerba notauimus, Omnis autem in querendo, quæ uia quadam & ratione habetur oratio, præscribere primùm debet, ut quibusdam in formulis ea res agatur, ut inter quos differitur conueniat, quid sit id, de quo differatur. Cum enim docet, ut quibusdam in formulis res agatur, non aliud certè docet, nisi ut

in for

in formas ac species distinguamus, ac definiamus id, de quo disputamus, quò facilius quid sit, possit intelligi. Huc pertinet id, quod etiam in secunda quæstione diximus. Crassus enim apud Ciceronem tertio de Oratore sic loquitur: Atq; horum superius illud genus causam aut controuersiam appellant, eamq; tribus Lite, aut Deliberatione, aut Laudatione definiunt. Illud uerò, quod non ita multò post adiungit, Crassus omnem penitus dubitationem tollit, & à criminatione tua Ciceronem liberat: ut si nullam rationē aliam adduxissem, id per se satis sit ad omne firmitermentum tuum obruendum, ac penitus diluendum: audi igitur quid dicat Crassus: Definitionis autem sunt disceptationes, ut cum queritur, quid in communi mente quasi impressum sit: ut si differatur, id ne sit ius, quod maximæ parti sit utile: aut cum, quid cuiusq; sit proprium, exquiritur: ut Ornatè dicere, proprium ne sit oratoris, an id etiam aliquis præterea possit? aut cum res distribuitur in partes, ut si queratur, quot sint genera rerum expectandarum: ut, sint ne tria, corporis, animi, externarumq; rerum: aut cum quæ forma & quasi naturalis tota cuiusq; sit describitur, ut si queratur auari species, seditiosi, gloriosi. Hæc Crassus. E quibus mihi satis est, ut intelligas, etiam hanc definitionis esse disceptationē, cum res in partes distribuitur, quò uideas clarissimè, quàm insciēter dicitur, Officium quatenus genus est, à Cicerone non esse definitum. Tu uerò non contentus hac plaga, damnas etiam Perfecti, ac Mediij officij definitionem: utpote, cui genus (ut ais) hoc est caput ipsum definitionis desit: uel si subintelligatur Officium, necesse sit in uitium illud incidere, quod Græci τὸ ὄνομαζον dicere solent, cum idem se ipso exprimitur: interrogasq; Ciceronem per Musas, ut tibi di-

cat, quid illud pronomen, Id, eo loco significet : cum ita ait, Medium officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Ego autem tibi pro Cicerone respondeo, illud pronomen, Id, iterum nomen officij repetere. neq; tamen esse absurdum, (ut tu censeres) aut Cicerone indignam repetitionem: atq; in hac parte non alijs rationibus, quam tuis uti statui, ut tuo te gladio (quod aiunt) interimam. Ipse enim paulò antè dixisti, Perfectum & Medium officium non esse genera, sed duas unius generis differentias : diuiditur enim (inquis) officium in Perfectum & Medium, sicut animal in Rationale & Irrationale: hoc autem tibi facillimè concedam, quod totum pro me facit. Sed aduerte, quæso, quam imprudenter loquaris: Negas recte dici, Perfectum officium est officium: aut, Medium officium est officium : quoniam idem seipso uidetur exprimi. Sed mihi per ignorantia tuæ tenebras, cui maximè niteris, respondeas uelim, possit'ne genus de suis differentijs prædicari? Quid ni, inquis : docet enim hoc Porphyrius, Genera omnia de sibi subiectis formis, & differentijs dici. Esto : est'ne genus officium? Iam hoc sponte tua confessus es. Sunt'ne differentiæ Perfectum officium & Medium? Hoc tu conatus es docere. Quid igitur prohibet Officium, quod genus est, de perfecto & medio officio dici, quæ sunt officij differentiæ? Vides'ne, quam incredibile sit in Dialecticis acumen tuum, quorum adhuc elementa penitus ignoras? Quis est enim eorum, qui tantum à limine (quod dici solet) Dialectica salutarint, qui nesciat, de omnibus differentijs suis genera omnia rectissime dici? Deinde peto à te, quoniam argumentaris, officium ita diuidi in perfectum & medium, sicut animal in rationale & irrationale : an recte dicatur Animal de utraq;

utraq; hac differentia? ut si dicam, Rationale est animal: & si quis ita proponat, Animal rationale est id, quod rationis est particeps: Irrationale, quod rationis expertus est: an sint hæ propositiones uituperandæ, propterea quòd illud pronomen, Id, iterum animal repetit? quid in hac interrogatione mihi respondebis? aut hæ tibi propositiones improbandæ sunt, aut concedendum, rectè dixisse Ciceronè. Sed has improbare non potes, quoniam ipse dixisti, tam rationale, quàm irrationale animal esse. Ergo te autore, & iudice, rectè dixit Cicero: tam enim Perfectum officium, & Medium, est officium, quàm rationale & irrationale est animal. Quapropter insulsè sanè, & pueriliter facetus esse uoluisti, cum ais periculum esse, ne in paralogismum illum incidamus, Officium perfectum est id, quod rectum est: perpendicularum est rectum, ergo perpendicularum est officium. Quæ te, malum, intemperies senem importunum ac delirū exagitat? nequeo enim non uehementissimè indignari, cum in autorem omnium præstantissimum, tam scurriliter unus è triuio literator, & tam lasciuè debacchetur. Atqui fortasse tibi uideris mirabiliter conclusisse, aut aliquid ex Ciceronis grauitate detraxisse, tuo illo scurrili ac ridiculo paralogismo, quem nemo sanus (ut opinor) sine nausea legere potest: perinde quasi nesciant omnes, qui primoribus (ut aiunt) labris Dialectica degustarint, in secunda argumentationum formula, si duo fuerint aientia proloquia, nihil unquam rectè concludi: Aut quasi nos tam stupidi simus, ut non intelligamus, alia ratione Perfectum officium, alia Perpendicularum rectum appellari: est enim Rectum ambiguae significationis uocabulum, uel ut Logici uocant, æquiuocum. Illud uerò quod addis, apertissimè falsum est, & ic-

circo refelli facillimè potest, quòd perfecti officij definitio medio officio, & uicissim mediij officij definitio perfecto possit accommodari. Nam quamuis perfecti officij cur factum sit ratio probabilis reddi potest, non tamen ideo perfectum est, si tantum probabilis reddatur ratio: debet autem definitio esse eiusmodi, ut rei uim ac naturam explicet, & eam à communitate disiungat, & præterea retro agi, & conuerti cum definito uocabulo possit, ut neq; pluræ, neq; pauciora quàm ipsum definitum complectatur. Non sufficit autem ad perfectionem, ut ratio probabilis sit; sed oportet, ut etiam uera & recta sit. Quare mediij officij definitio, non rectè ad perfectum accommodabitur. Quòd uerò medium officium ais esse rectum, hoc tam absurdum est, quàm si probare contenderes, umbilicum, aut genitalia te in capite habere, aut pulmones in cerebro: neq; tuum illud sequitur, si rectum non est, peruersum ac præposterum id esse fateamur oportet. Quod mihi sanè crassum ac pingue uidetur: possum enim uicissim ita respondere, si medium est, neq; rectum, neq; peruersum esse necesse est: cur enim mediū uocatur, nisi quia supra se rectum habet, infra uerò quod prauum ac peruersum est? Sed ut facilius hæc explanari possint, triplicem rerum diuisionem, ut à Philosophis traditur, esse dicimus: Sunt enim quæ per se tantum expetuntur, non alterius rei gratia, ut uirtutes, & animi bona cum honestate coniuncta: atq; hæc Recta dicuntur, in quibus perfectum est officium. Sunt etiam quæ expetuntur quidem, sed non per se: ut Diuitiæ, honores, & cætera fortuna bona, in his medium est Officiū, quòd hæc omnia ad Honestatem dirigat, propter quam hæc expeti debent. Tertium genus est eorum, quæ fugienda sunt, in quibus nul-

lum

lum officium esse potest : quam enim rationem probabilem asserre quis potest, quòd vitia sequatur ? Non est igitur in eis officium, quæ effici non debent. Ergo quamuis sit triplex rerum diuisio, tamen duo tantum sunt officij genera : quoniam in rebus turpibus nullum officium est : Perfectum autem officium ad ea tantùm pertinet, quæ per se videntur expetenda, atq; ideo Rectum dicitur : quod nunquam à uirtutis atq; honestatis scopo dimouetur : quòd fit, ut Medium officium, quod ad institutionem uitæ communis spectat, ut eam ad honestatem ac finem bonorum dirigat, neq; Rectum, neq; Prauum esse possit. Quamuis enim hæc inter se cõtraria sint, Rectum & Prauum : non tamen eius generis sunt, ut alterum semper adesse necesse sit : quod in eis accidit, quæ nullum habent medium : ut sanum, ægrum : necesse est enim, ut omne animal aut sanum sit, aut ægrum : & horum contrariorum est ea natura, ut se mutuo semper consequantur. nam si non est sanum animal, necesse est, ut sit ægrum : & si non est ægrum, necesse est, ut sit sanum. Sunt alia quædam alterius generis contraria, quæ medium admittunt, neq; necesse est, ut alterum semper adsit : ut album, nigrum, bonum, malum. Neq; enim sequitur, Non est album, ergo est nigrum : potest enim esse rubrum, aut caruleum. In horum numero ponimus Rectum & Prauum : sunt enim quæ per se neq; recta sint, neq; praua : sicuti quædam neque bona, neque mala : atque huius sententiæ autores habeo Platonem & Aristotelem, qui Diuitias, literarum peritiam, honores, & cætera huiusmodi, neq; in bonis, neq; in malis habenda existimant, si per se considerentur. Sed si quis eis bene utatur, bona fiunt : si contrà, mala. In his igitur medium officium laborat, & hominem instruit, ut ad honestatem,

Et rectam uiuendi rationem hæc omnia, quæ per se neq; bona sunt, neq; mala, traducat: hominiqu; ita moderatur, ut nihil agat, cuius probabilis ratio reddi non possit. Et quoniam res à meliori parte semper appellationem habent, factum est, ut hæc quæ Philosophi censent, neque in bonis, neque in malis habenda, tamen bona uel fortunæ, uel corporis appellentur.

XXII

SEquitur importuna quædam atq; impia digressio tua, Sin qua perinde ac uictor exultans, impuro ore, ac nefario, negligentia Ciceronem insimulas: damnasq; hoc diuinum de Officijs uolumen, et ais id esse negligentissimè conscriptum, et in eo multa oscitanter effusa: neq; te pudor ullus, aut hominum existimatio, aut tacita conscientia, aut ipsa ueritas potest à tam scelestis maledictis abstrahere. Quid, quæso, impudentius, quàm te omnium iudicio tuum iudicium antepone? Omnes enim qui de literis aliquid iudicare possunt, hoc opus mirificis laudibus in cælum ferunt, semper habendum in manibus censent, ad uerbum ediscendum, plurimum et ad morum institutionem et ad orationem Latinam pleniorē efficiendam prodesse testantur. Ergo non in ipsum tantum Ciceronem iniuriosus es, uerum in omnes, qui ubiq; sunt ac fuerunt eruditi homines, quod eos nihil uidisse, nihil rectè iudicasse censeas. Eximia uidelicet quadam tu scientia præditus, acutè perspicias, quæ nulli unquam aduertuerunt, aut quæ Cicero ipse uidere non potuit. At ego multis iam argumentis apertè demonstraui, te omnis doctrinæ recõditoris penitus rudem, atq; ignarum. Prò Deum atq; hominum fidem, tantis ne ignorantia tenebris inuolutus homo, perennem omnis eruditionis fontem conturbare audeat? O facinus indignum, ac minimè ferendum:

O int

O intolerandam audaciam: o monstrum exterminandum. Ergo ne tam patientes, uel tardi potius, ac desides, sunt literati omnes, ut tam graue flagitium haecenus impunitum esse uoluerint? Quid agitis Ciceroniani nominis amatores? Cur tam estis negligentes? Cur cessatis? cur non hanc belluam tam efferatam stylo uestro configitis? Cur tandiu finitis hanc in Ciceronis nomine labem inueterare? Sentiatur tandem Calcagninus, esse aliquos, qui pro tanto principe defendendo quiduis & facere, & pati parati sint: qui armati in arenam descendant: qui tam audacis hominis insaniam retundant: qui tam ingratum & rebellem uelitem extra Musarum fines exterminent. Non enim omnino dignus est, qui inter literarum cultores habeatur, qui temere, ac nulla ratione ductus, earum parentem insectatur. Cur hoc mihi, Dij immortales, non concessistis, ut unus ex istius Calcagnini familiaribus essem, quo tempore apud eos se solitum testari dicit, non aliud uolumen sibi uideri negligentius à Cicerone conscriptum, quam hoc de Officijs? Profectò effecissem Calcagnine, ut te tantæ temeritatis tuæ perpetuò poeniteret. Sed postquam id coràm tunc efficere non potui, certè nunc scribendo, quod haecenus feci, totis uiribus enitar ostendere, te non solum omni iudicio, sed etiam communi sensu penitus caruisse, neque unquam Latinas literas didicisse. Sed illud prius testatum apud omnes relinquam, Me, si uellem in hac parte diutius immorari, multis rationibus ostendere posse, nullum esse uolumen in hoc genere, neq; apud Latinos, neq; apud Græcos excellentius hoc Ciceronis opere de Officijs, quod tu mala mente, malo animo, tanquam negligenter scriptum criminaris: & quasi fuerit in scribendo Cicero negligentissimus, & nil

hil unquam accuratè scripserit, ais nullum librum ab eo negligentius, quàm hunc esse conscriptum. Sed cum omnium frè operum Ciceronis, quæ consensu doctorum omnium sunt exquisitissima diligentia scripta, paulò eruditiores omnes hoc esse utilissimum fateantur, quòd & uerborum splendore, & sententiarum grauitate mirificè sit ubiq; refertum: quid est quod ad eius præstantiam laudatione mea possit accedere? Satis sit igitur illud Plinianum testimonium, Hæc uolumina non modò in manibus habenda, sed etiam ad uerbum ediscenda. Quod imperitè tu censes de alijs operibus esse dictum: cum ibi de hoc uolumine de Officijs tantum loquatur Plinius. Quòd si, quemadmodum spero, tuas omnes ineptas calumnias firmissimis rationibus euicero, quid erit quod quisquam amplius de huius operis excellentia dubitare possit? quod omnino tale est, ut in arce poni queat, quasi Minerua illa Phidiæ. Sed iam quod nunc instat agamus, atque illud uideamus quale sit, quod ais, Ciceronem Prudentiam & Scientiam non rectè permiscuisse: censes enim hæc duo multum inter se disidere: quibus autem tu rationibus hoc probare niteris, eas quamuis ab Aristotele sumpseris, dico nihil huic questionì conuenire. Quoniam aliud est Græcè loqui, quod fecit Aristoteles, aliud Latine, quod fecit Cicero. In ijs igitur, quæ ad Latine lingue proprietatem spectant, nihil tibi rationes Aristotelicæ prodesse possunt. Fundas ergo tu tota nugarum plaustra, distinguas, argumenteris, insanias, ego una tantum ratione nugatorias illas distinctiones tuas omnes refutabo. Dico enim, & ita apertè dico, ut omnes literatos audire uelim, te penitus ignorare, quid apud Latinos Prudentia significet, atq; hanc esse unam totius erroris tui causam.

Quod

Quod quamuis in quaestione decima septima multis rationibus satis copiosè docuerim, addam tamen etiam hoc loco nonnulla, quibus leuitatem tuam infringam. Sed antequam hoc aggredior, prius erroris tui causam aperiam. Legeras (ut opinor) apud Aristotelem Ethicorum sexto, in rebus quæ ad cognitionem spectant quatuor hæc inueniri nomina, ἐπιστήμη, φρόνησις, σοφία, καὶ νῆς: quæ ita sunt ab interpretibus uersa, scientia, prudentia, sapientia, intellectus: unde tu totam eam de Scientia & Prudentia disputationem sumpisti. Sed illud per imprudentiam, ac inscitiam tuam, aduertere tibi non licuit, non eandem apud Latinos esse differentiam, inter Scientiam & Prudentiam, quæ apud Aristotelem ponitur inter ἐπιστήμη, καὶ φρόνησις. Nam ἐπιστήμη Aristoteles accipit pro ea tantum scientia, cuius habetur demonstratio, & quæ aliter habere non potest, quæ ducitur ex primis, ueris, medio carentibus, & causis conclusionis. Vnde primo Posteriorum ἐπιστάς docet esse, quando causam, per quam res aliqua sit, intelligimus. φρόνησις uerò idem autor uult habitum esse quendam consultandi de ijs, quæ sibi bona sint, atque utilia: uel, ut paulo post addit, εἶναι μετὰ λόγῳ ἀληθῆ, πρὸς τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικῆς, id est, habitum uerum in rebus humanis, faciendi quæ bona sunt. Hinc est, quòd tu Prudentiam ais in consultatione totam consistere, Scientiam uerò tantum in rebus æternis, quæ eodem modo semper constant, quarumq; principia aliter se habere non possunt. Itaq; omnis cognitio, atq; omnis intelligentia, quæ uel in demonstratione, uel in consultatione non erit, te autore, neq; scientiæ, neq; prudentiæ nomine comprehendetur: quod quis non uidet maximè ridiculum, & absurdum esse? Nos uerò, qui non sumus tam

Aristotelici, & qui Latine didicimus, non tam ad uiuum scientiam refecamus, neq; prudentiam. nam omnem cognitionem ita acquisitam, ut non facile possimus eam obliuisci, Scientiam uocamus: quare uis non semper eodem modo constet, aut huiusmodi principia habeat, quæ aliter esse non possint. Hinc est, quod antiquitatis, atq; historiarum cognitionem, & peritiam linguarum, & liberalium artium disciplinam, & artis alicuius etiam ignobilis intelligentiam, Scientiam dicimus. Admiratur apud Ciceronem, primo de natura Deorum, Cotta Pontifex in Velleio Epicureo, homine Romano, tantam esse scientiam, ut usq; à Thale Milesio de Deorum natura Philosophorum sententias enumeraret. Hoc certe loco Scientia non pro certis, ac necessarijs capitur, cum longè diuersæ essent Philosophorum sententiæ. Hæc præterea sunt omnia Ciceronis uerba, Scientia rei militaris, Scientia iuris ciuilis, legendi & scribendi Scientia, omnes artes in aliqua scientia uersari: de quibus exempla non adduco, quoniam passim Ciceronis opera legentibus obuia sunt. Prudentiam uerò, de qua est omnis hoc loco disputatio, nos ita accipimus, ut omnem cuiuscunque rei rectam intelligentiam significet, non autem ut in eas angustias compellatur, in quas eam tu conijcis, ut consultationi tantum ac fortune subiecta sit. Nam omnem scientiam, quæ in ueri inuestigatione consistit, prudentiæ partem quandam esse uolumus. Sunt etiam scientiæ quedam procul ab honestate remotæ, cum quibus prudentia non permiscetur: omnis enim prudentia, quæ propriè dicitur, semper laudabilis atq; honesta est. & hoc est quod ait Cicero: Quibus uitijs declinat, quod in rebus honestis & cognitione dignis operæ curæ que ponetur, id iure laudabitur. ut in

Astrol

Astrologia C. Sulpitium audiuius, in Geometria Sext. Pompeium ipsi cognouimus, multos in Dialecticis, plures in Iure civili, quæ omnes artes in ueri inuestigatione uersantur. Sed, ut facilius intelligatur quod uolumus, paulò altius res repetenda est. Dico igitur, apud Latinos tria esse uocabula, quæ in rebus honestis idem penè significant: Prudentiam, Sapientiam, Scientiam. quibus tamen ordine quodam naturali Prudentia præponatur. Quoniam Prudentia uis quædam est animi, qua & uerum quid sit intelligimus, & quæ sunt expetenda, aut fugienda cognoscimus: unde sæpenumero pro consilio, atq; ratione Prudentia poni solet. Cicero secundo de Natura Deorum: Illud autem quod uincit hæc omnia, rationem dico, & si placet pluribus uerbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi inuenimus? Rursus in eodem libro, Nec uerò eæ stellæ, quæ inerrantes uocantur, non significant eandem mentem, atq; prudentiam. Et inferius: Ex quo intelligitur, prudentiam quoq; & mentem à Deis ad homines peruenisse. Ibidem: Cumq; sint in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est Deos hæc ipsa habere maiora: nec habere solum, sed etiam ipsi uti in maximis, & optimis rebus. Quid igitur est, quòd etiam Deis immortalibus Cicero prudentiam attribuit? nisi ut intelligamus, id omnino esse commentitium, quod tu nullo auctore somnias, fortunæ subiectam esse prudentiam, & ad res tantum humanas, & futuras attinere? Nam non ita multò post hæc adiungit: Nihil autem nec maius, nec melius mundo: necesse est ergo eum Deorum consilio, & prouidentia administrari. Rursus inferius: Efficitur omnia regi diuina mente atque prudentia. Ergo Prudentia & pro ratione humana, & pro Deorum prouidentia,

tia, & pro diuina mente capi solet. Sed Deos relinquamus, & uideamus, quid in homine prudentia sit. Approbat Cicero secundo de Finibus sententiam Aristotelis, qui dixerat, Ut ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, Intelligendum, & Agendum esse natum, quasi mortalem Deum. hoc est, (ut ego interpretor) ad prudentiam, & reliquas uirtutes. Prudentia enim in cognitione, reliquæ uirtutes in actione constitutæ sunt. Et quoniam intelligere prius oportet, deinde agere, ideo prudentia principem locum apud Ciceronem est sortita. Atq; hæc quidem uirtus in omnia tempora distribuitur. hinc est quod secundo de Inuentione Cicero tres prudentiæ partes constituit, Memoriam, Intelligentiam, & Prouidentiam: ut Memoria de præteritis dicatur, Intelligentia de præsentibus, Prouidentia de futuris. Quò fit, ut prudentia, quæ omnia tempora complectitur, omnem etiam scientiam cõtineat. Itaque quæcunq; tu scientiæ propria esse dicis, & à prudentia remota, ego longè melius unà cum Cicerone Prudentiæ nomine complector. Quid enim aliud est Prudentia, nisi (ut eam tertio de Natura Deorum definit Cicero) scientia rerum bonarum & malarum: & nec bonarum, nec malarum. Quæcunque autem dici, aut excogitari possunt, ea uel bona, uel mala: uel nec bona, nec mala sunt: ergo Prudentia rerum omnium est scientia. Quòd si tibi non placet hæc Ciceronis definitio, quære quid ab Aristotele dicatur in libello illo aureo de Virtutibus, ubi prudentiæ officia sic exequitur:

Τὴν δὲ φρονήσεως ἐστὶ τὸ βελούσαδ, τὸ κρίναι τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ κακὰ καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ ἀερίτῃ καὶ φθυκτῃ. τὸ γρη῏ς πᾶσι καλῶς τοῖς ὑπέρ-
 1208

χρῆσι, ἀγαθοῖς. τὸ ὁμιλεῖν ὀρθῶς, τὸ συνιδεῖν τοὺς
 κακούς. τὸ ἀγχιῶς χρῆσασθαι, καὶ λόγῳ καὶ ὄρῳ. τὸ
 πλὴν ἐμπειρίαν ἔχειν τῶν χρῆσέων πάντων.

Nemo enim poterit bona et mala discernere, quæ sint
 expetenda aut fugienda iudicare, rectè presentibus bo-
 nis uti, rerum opportunitates cernere, dictis et factis uti
 cum solertia, rerum omnium utilium usum et experien-
 tiam habere, nisi qui harum rerum scientiam fuerit ad-
 eptus: sed his rebus omnia continentur: ergo prudentia
 scientiam omnium rerum complectitur. Sed iuvenes (in-
 quis) scientiam sibi comparare possunt, prudentem iuue-
 nem non facile reperies. Mirum ni cum hæc effutires, te
 Bacchus agitaret, quàm enim ridicula hæc ratio est? Nam
 si possunt sibi iuvenes scientiam comparare: quid prohi-
 bet, quin etiam sibi prudentiam comparent? Sed non fa-
 cile prudentes iuvenes reperiuntur. Quis negat? cum
 neque scientes multi sint. Sed cum quis disciplinam ali-
 quam ac scientiam adeptus est, omnino prudens in ea di-
 ci potest, etiam si in alijs rebus imprudens esse uideatur.
 Hinc iuris prudentes dicuntur, qui legum periti sunt,
 etiam si frequentissimè sint in rebus multis imprudentis-
 simi. Et Cicero scribit, Stoicos in differendo prudentissi-
 mos esse, et Acilius ideo dictus est sapiens, quòd esset
 prudens in iure civili. Possunt igitur iuvenes cum Geo-
 metrae aut Musici facti sunt, Prudentes in ea scientia re-
 ctè appellari. Sed prudens (ais) nemo est, nisi bonus: sciens
 malis peruersisq; moribus uti potest. Quid? prudens er-
 go malis moribus uti non potest? Atq; non ibis inficias,
 etiam prudentem habere liberam peccandi uoluntatem:
 unde Medæa prudentem se peccare ostendit, cum apud
 Ouidiũ ita loquitur: — Vidco meliora proboq; Deteriora
 sequor.

sequor. Quamuis mira sit inconstantia tua, quam damnare si uelim satis copiosè liceat. Hic enim ais, prudentem neminem, nisi bonum, esse non posse: paulo post ita dicis, Prudens enim per sepe manus dat affectibus, & nunc amore, nunc odio huc uel illuc rapitur. En què Ciceronis impugnandi prouinciam sumat, qui eadem pagella non meminerit, quod paulò ante dixerat? Nam si nemo prudens, nisi bonus, ut ais: sequitur, ut quoniam prudens nunc odio, nunc amore huc uel illuc rapitur, & manus dat affectibus, etiam bonus uir idem patiatur. Sed qui odio atq; amore trahitur, & manus dat affectibus, ille sine dubio improbus, ac nefarius est. Ergo te præceptore bonus est improbus, ac nefarius. Vides quæ te barbaturum insania uerset, quia semel ueritatem impugnandam suscepisti? Sed in eo quod quis peccat, neq; prudens, neq; sciens rectè dici potest. Hoc autem tertio Ethicorum probat Aristoteles, Neminem scientem, sed ignorantem peccare. & malitiæ atque improbitatis non aliam esse causam, quàm eam, quæ est in eligendo ignorantia. Præterea negas, prudentem esse scientem: at ego apud autores Latinos ita posita hæc nomina reperio, ut nihil penitus, aut parum admodum inter se differant. Terentius in Eunucho: Et prudens, sciens, uiuus, uidensq; pereo. Plinius libro octauo, de Castore uel Fibro, Ob ea se peti prudens. Cicero in epistolis: sic ego prudens ac sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Idem pro Murena: Prudens ac sciens ad interitum ruebam. atque ita Imprudens contrarium est scienti, ut Cicero pro Roscio Amerino: Hæc omnia imprudente L. Sylla facta sunt. Quo in loco si dixeris insciente, quis non uidet, idem futurum? ut in epistolis: Nihil in ea re per collegam meum me insciente

sciente esse factum. Sed quid exemplis opus est, quibus
 plena sunt omnia? quibus (inquam) & sciens pro prudente,
 & contra prudens pro sciente ponitur. Verum illud
 ego prætermisissis exemplis à te peto, an prudentia sit sci-
 entia? Negas? At mihi libet aliquantulum nauem meam,
 Dialecticorum remis impellere. Formemus igitur syllo-
 gismum hoc modo: Nulla prudentia (ut tu censes) est
 scientia: sed omnis cognitio rerum bonarum, & malarum
 est prudentia: nulla igitur cognitio rerum bonarum, &
 malarum est scientia. Sumamus iterum hanc conclusio-
 nem, ut ostendamus nihil tam absurdè dici posse, quàm
 prudentiam non esse scientiam. Nulla cognitio rerum bo-
 narum & malarum est scientia: quæcunq; uera sunt, aut
 falsa, sunt bona uel mala: ergo uerorum & falsorum co-
 gnitio non est scientia. Philosophia uerò dicitur ueri &
 falsi cognitio, quare sequitur, ut neq; Philosophia sit sci-
 entia: est autem eadem Philosophia, quæ grauissimo no-
 mine Latino Sapientia dicitur: ergo neque sapientia est
 scientia. At uerò Sapientia definitur, ut sit rerum diui-
 narum atq; humanarum scientia. Itaq; nisi cæcus es, eò te
 deduxi, ut iam tibi si constare uis, scientiam esse scientiam
 negare sit necesse: quo quid insanius haberi potest? Pru-
 dentia non est scientia? Dij boni, quanto gaudio cumu-
 larer, si tecum congregari possent. Sed ad rem, Si prudentia
 non est scientia, neq; prudens erit sciens: uerum prudens
 ea scit, quæ sunt expetenda aut fugienda, ergo non sciens
 ea scit, quæ sunt expetenda aut fugienda. Rursus ita ex
 tuis uerbis: Prudens non est sciens, sed prudens inter alios
 plurimum eminet, & apud omnes quasi architecti uice
 fungitur: ergo nesciens inter alios plurimum eminet.
 Quid ad istas ineptias abis? inquires, quasi uerò non possim
 plurim

plurimis exemplis à Cicerone sumptis probare, quod uolumus: sed iocari paulisper libuit. Cicero primo de Natura Deorum Epicurum ignorantiae damnat, scribitq; illum nihil dicere, quod non modò Philosophia dignum sit, sed mediocri prudentia. quo in loco Prudentiam, pro scientia capi certum est. Quid quò etiam opportunitatem temporum & ordinem rerum Cicero scientiam appellat? quæ certe prudentia est. Idem ad Herennium libro tertio (si modò Ciceronis illud opus est: Latini certe hominis est, & antiqui) ita inquit: Dicitur etiam prudentia, scientia cuiusdam artificij. Item appellatur Prudentia, multarum rerum memoria, & usus complurium negotiorum. Idem paulò post: Prudentiæ partibus utemur, si qua in re cohortabimur aliquè, cuius rei aliquam disciplinabilem scientiam poterimus habere. Quibus ex uerbis facile potest intelligi, scientias omnes ac disciplinas, quæ liberales appellantur, ad prudentiam pertinere. Vnde rectissimè Philosophi, qui has scientias profitentur, prudentes dici possunt: quod nescio qua ratione tu negare audeas: cum sæpenumero per scientiam naturalem ea uideant, quæ futura sunt: de quibus ita loquitur primo de Diuinatione Cicero: Nam & natura futura præsentunt, ut aquarum fluxiones, & deflagrationem futuram aliquando celi atque terrarum: alij autem in Repub. exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus: orientem Tyrannidem multò ante prospiciunt, quos prudentes possumus dicere, id est prouidentes: diuinos nullo modo possumus: non plus, quam Milesium Thalem, qui ut obiurgatores suos conuinceret, ostenderetq; etiam Philosophum si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam antequam florere cœpisset in agro Milesio

lesio coëmisse dicitur : animaduërterat fortasse quadam scientia,olearum ubertatem fore. In eodem opere Physicorum Prudentiam,pro scientia dixit:ut non dubium sit,quin ita senserit ubiq; Cicero,quòd hoc loco docet,scientiam omnium rerum pulcherrimarum prudentia contineri. Non igitur in hoc opere fuit minus diligens , quam in reliquis,cùm ubiq; sui similis esse uideatur.

NAm illud etiam nimis imperitè reprehendis , quòd X X I I I
Iustitiæ fundamentum Cicero Fidem esse dixerit: mallesq; eum dixisse , Fidei fundamentum esse Iustitiam: quoniam fides (ut tu uis) ad iustitiam refertur, non iustitia ad fidem. Cùm enim triplicem iustitiam statuunt:primam, quam interpretantur naturæ legem, cuius complexu uirtus omnis clauditur : unde illud,

Iustitia in sese uirtutes continet omnes.

Alteram , quæ cuiq; pro dignitate tribuit iuxta Geometricam proportionem : Tertiam quæ ad contractus conuentionesq; hominum refertur , quæ omnibus ex æquo, quod suum est, impendit , iuxta proportionem Arithmeticam, in hac tantum ultima tu fidem censes esse collocandam : Itaque si fides tollatur,credis tamen iustitiæ locum fore : quod si ita esset , omnino malè Cicero iustitiæ fundamentum fidem esse dixisset. Verùm ego non contentus ista tua tam rotunda diuisione, diligentius hanc rem tractare constitui : ut ex uerbis suis, si fieri potest, ueritatem eliciam. Nam si docuero, nullo modo fieri posse, ut sublata fide sit iustitia : uerùm sublata iustitia, sæpenumero fidem remanere: non erit dubium, quin iustitiæ fundamentum sit fides. Primam igitur eam iustitiam uniuersalem, quam publicam naturæ legem appellamus, cuius uno no-

b miue

mine (ut *Diuus* ait *Hieronimus*) omnes uirtutum species continentur, quam tu procul à fide remotam existimas, dico ego sine fide esse nullo modo posse: ut non tantum iustitiæ, sed omnium uirtutum fides fundamentum sit. Nam quæ uirtus in homine perfido ac fœdistrago potest inueniri? Illud enim omnino consequens est, ut in quo non est fides, in eo sit perfidia. Nam qui sine fide est, nullam seruare societatem, nullam amicitiam, nullam uitæ communitatem potest, in qua uirtutis splendor est maximus, & ex qua boni uiri nominantur. Quò fit, ut necessariò Malus esse iudicetur: eum uerò Malum hominem dicimus, qui ab omni uirtute sit alienus. Itaq; qui fide caret, eum omni uirtute carere necesse est. Dicitur enim in eo fides non esse, qui nullam conuentionem, nullum fœdus ratum habet, nullum sacramentum, aut iusiurandum seruat, sed quacunque ratione potest iustitiam uiolat, fraudat, decipit, spoliat: uel si hæc non exequitur, animum tamen habet eiusmodi, ut oblata occasione, statim flagitiū aliquod aggrediatur. Quicumq; autem ita affectus est, etiam si nemini noceat, cum tamen nemo iustum, sed impium potius, ac perfidum omnes existimant. Duobus autem modis dicitur homo fide carere: id est, actu, & habitu: atq; utroq; modo, si mala mens accesserit, Perfidus appellatur. Nam & qui fidem uiolat, & qui per diuinam consuetudinem ita affectus est, ut sine religione fidem uiolare paratus sit, is nullam omnino iustitiæ partem habere potest. Qui uerò iustitiam sequi solet, is neque fidem frangit unquam, neq; ita est affectus, ut quenquam decipere concupiscat: ergo nulla est in eo perfidia, sed ei fides ubiq; comitatur. Falsum est igitur, quod tu conaris ostendere, in una tantum

tum iustitiæ particula fidem esse, cum sine fide nulla uirtus esse possit, & qui consultò fidem fallit, ac negligit, is repente fiat iniustus, & impius: ut meritò Publianus dixisse uideatur: Fidem qui perdit, quo se seruet in reliquum? Sed longè melius, & uerius Poëta quidam Hetruscus omnium uirtutum fundamentum esse Fidem pronuntiauit: cuius uerba quouis poëtico melle suauiora, nisi quorundam imperitorum uoculas pertimescerem, libenter recitarem. Scio enim, si cum Latina locutione uulgarem sermonem permiscuero, non defuturos, qui uehementer rideant, & tanquam rem absurdam atq; ineptam uituperent. Ego uerò non uideo, quare tantopere sit hoc improbandum, cum præsertim duos habeamus Hetruscos Poëtas, tam elegantes & eruditos, ut neque Græcis ullis, neq; Latinis cedere uideantur. Quòd si pulchrum putamus, interdum Latinis Græca permiscere, cur non idem etiam in alijs linguis, si commodè fiat, laudemus? Sed rideat qui uolet, ego certè carmen unum, quod ad hanc quæstionem mirificè conuenit, è Dantis Hetrusci Poëtæ Paradiso decerpam, quòd te facilius resellam: sic igitur ille:

Sopra la fede, ogni uirtu si funda.

Vidit acutus & ingeniosus homo, perfidiosum hominem nulla uirtute præditum esse posse. Quò magis irridenda est inscitia tua, qui sine fide uirtutè omnem acquiri posse existimes: eam enim iustitiam, quæ omnem uirtutem amplectitur, procul à fide remotam arbitraris. Itaq; tuo iudicio, Perfidus homo sanctissimus, atq; optimus est: quod quàm absurdum sit, etiam puero perspicuum est. Nos autem fidem latissimè patere contendimus, ut nulla perfecta uirtus esse sine fide possit: & tamen sine uirtute fides in-

h 2 uenit

uenitur: Nam inter sicarios etiam et latrones sepe numero fides est, cum in eis nulla sit uirtus, nisi fortasse aliqua iustitiae particula (ut docet Cicero) quae fidei adheret. Omnis enim iustitiae pars fide stabilitur. Unde laudatur illud Agesilai dictum, qui cum interrogatus fuisset, Vtra maior esset uirtus, Iustitia ne, an Fortitudo? Respondit:

Ὅνδεῦ ὄφελος ἀνδρείας εἴναι μὴ πείσους δικαιοσύνης. εἰ δὲ δίκαιοι πάντες γίνοντο μηδὲν ἀνδρείας δευδόμεθα.

Nullam fortitudinis utilitatem fore, si iustitia adfuerit: nam si iusti fierent omnes, fortitudine nihil opus esset. Sed nemo iustus esse potest, nisi fidem in rebus honestis omnibus diligentissime seruauerit, ergo ad acquirendam iustitiam, quae uirtutum omnium regina est ac domina, fide maxima opus est. Quod si nulla fides sit, neque hominum societas erit inter ipsos, neque uitae communitas, nemo communes utilitates in medium afferret, mutatione officiorum dando et accipiendo, in nullis hominibus erit constantia et ueritas. Itaque peribit omnis humana iustitia, praecclare uero describit Horatius in Odis uirum iustum, et maxima fide praeditum his uerbis:

Iustum et tenacem propositi uirum
 Non ciuium ardor praua iubentium
 Non uultus instantis Tyranni
 Mente quatit solida. et quae sequuntur.

Hac de causa credo Poetas finxisse Iustitiam uirginem esse, quod sit constans, fidelis, uera, atque integra: quae neque metu ullo, neque cupiditate corrumpatur, de qua sic Hesiodus:

Ἡ δὲ τε πείσους ὄσιν δὲ δίκην δὲ εἰς ἐκγεγαυῖα
 Κωλύει τ' αἰδέειν τε θεοῖς οἱ ὄλυμπον ἔχουσι.

Ex hoc autem facillimè cognosci potest uerissimum esse quod ait Cicero, Iustitiæ fundamentum esse fidem: quòd quemadmodum sine ædificio fundamentum sæpe reperitur, ita etiam fides sine iustitia. Potest enim uir scelestus & improbus (ut Lactantius docet) fidem in omnibus seruare quæ dixerit, aut promiserit: at contra, quemadmodum nullum potest ædificium sine fundamento stare, ita sine fide iustitia non reperitur. nam qui fidem facillè uiolat, & frangit, is quomodo iustus esse potest? Huc accedit, quòd ijs, qui sunt improbi, non credimus, etiam si fidem nunquam fallant: quoniam ubi domicilium non uidemus, ibi neq; fundamentum ullum esse suspicamur. Iustis autem & fidis hominibus, id est, uiris bonis, ita fides habetur, ut nulla in his fraudis sit, iniuriæq; suspicio. Fides autem ut habeatur (inquit Cicero) duabus rebus effici potest, si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Neq; enim iusti, atq; intelligentes quæquam decipiunt. hinc illud tritum iam uetustate prouerbium, Dignus qui cum in tenebris mices. Etenim omnes uiri boni ipsam æquitatem, & ius ipsum amant: nec est uiri boni tale quicquam animo concipere, quod in alterius fraudem committatur, cum præsertim intelligat, ab eo sibi fidem haberi, quòd si consultò fides frangatur, & is, qui nihil tale timeat, decipiatur, corruat statim omnis iustitia necesse est. Inuitat igitur uera ratio benè sanos, ad iustitiam, æquitatē, & fidem: docetq; sine fide nullam æquitatem, aut iustitiam esse posse: quod cum ita sit, omnis æquitatis ac iustitiæ fundamentum erit fides.

CUr autem Cicero primum inter uirtutes Prudentiæ XXXXII
 locum dederit, quam Aristoteles in quarta classe col-
locar

locarit, facillima est ratio. nam multò melius fecisse videtur Cicero, quàm Aristoteles. Nihil enim omnino neque iuste, neque fortiter, neque moderatè fieri potest, nisi prius intelligamus, qua ratione id faciendum sit. Sic enim ordine quodam naturali constitutum est, ut prius oporteat intelligere, quàm agere: atque ideo magnis in rebus solent omnes, antequam ad eas aggrediantur, diligentissimè consultare, qui modus in gerendo, et quæ ratio seruanda sit. Hinc illa Thucydidis sententia, quam ita Latine Sallustius reddidit: Priusquam incipias, consulto: ubi consulueris, maturè factò opus est. Prudentia igitur inter uirtutes meritò principem locum obtinet, ut non iniuria Socrates prudentiæ nomine uirtutes omnes appellaret, et in legibus Plato prudentiam oculum uocat. Aristoteles uerò quasi architectum quædam uirtutù omnium uult esse prudentiam: ut mihi ueniat in mentem mirari, quare non eam primo loco posuerit, sicuti Cicero. Menander hanc uirtutem maximum bonum nuncupauit eo carmine:

Ἄγαστον μέγιστον ἢ φρόνησις ἐστ' αἰεὶ. et

Iuuenalis omnia cum prudentia docet optimè fieri posse, cum sic ait: Nullum numen abest, si sit prudentia. Quin etiam Xenophon nullius uirtutis usum absque prudentia dixit esse. Quod si uerum est, id quod Aristoteles docet, quatuor modis aliquid primum dici posse, Natura, Tempore, Ordine, et Honore: profectò his omnibus modis reliquarum uirtutum prima est prudentia. Nemini enim dubium est, quin natura sit ita comparatum, ut cognitio uoluntatem præcedat: nam (ut Diuus ait Augustinus) cognita diligere possumus, incognita nequaquam. Nullus enim ea desiderat, de quibus nunquam quicquam cogitauit:

uit: sed prius humana mens rerum ipsarum notiones percipit, atque intelligit: deinde uel eas expetit, uel refugit: quò fit, ut naturaliter intellectus prior sit, quàm uoluntas. At uerò prudentia (ut Aristoteles autor est) in intellectu sedem habet, reliquæ uirtutes in uoluntate: tota enim prudentiæ uis in cognitione, atq; intelligentia posita est, reliquarum uirtutum in actionis desiderio. Quare prudentia uirtutum omnium iuxta naturam prima est. Iam uerò nemo est, qui negare possit, tempus & ordinem rerum ita postulare, ut omnibus rebus gerendis adhibeatur consultatio, & præparatio diligens, nequid temerè aut inconstanter geratur: uetatq; nobis ratio, ut ea tractemus, quæ penitus ignoramus: sed præcipit, ut ad considerandas res adhibeamus & tempus, & diligentiam, seruemusq; præceptum illud Isocratis, βυλις ἔστω βραδύς ἐπιτέλει δὲ ταχίως τὰ δέοντα. Omnis autem recta consultatio, quæ rem gerendam antecedit (ut omnes Philosophi docent) prudentia est: ergo sequitur, ut & tempore, & ordine cæterarum uirtutum prima sit prudentia. Prætere a si rectè probauimus in superioribus quæstionibus, omnem scientiam & sapientiam prudentiæ nomine contineri, non est quod quisquam dubitet, omnium uirtutum præstantissimam esse prudentiam: siquidem sapientes ac scientes soli maximum honorem, & gloriam consequuntur: neq; quisquam uir excellens habetur, nisi qui rei alicuius peritiam ac scientiam maximam adeptus fuerit: & qui ita se gerit in rebus omnibus, ut nunquam eum factorum suorum poeniteat: quod prudentis hominis maxime proprium est. Planam igitur est, ac manifestum, omnibus modis prudentiam uirtutum esse primam. Nam & cæ

h 4 prima

prima dicuntur, quæ cum adempta fuerint, reliqua secum in perniciem trahunt, sed non eodem modo cum reliquis auferuntur. Tolle prudentiam omnem, nulla erit uirtus, quæ rectè munus suum obire possit. At si reliquæ uirtutes adimantur, maxima tamen prudentiæ pars remanebit. Omnes enim artes liberales, ipsa naturalis philosophia, & dicendi ac differendi ratio, quæ sub prudentia comprehenduntur, etiam si nulla sit alia uirtus, in homine possunt esse. Quare longè melius Cicero fecisse uideri potest, qui primo loco prudentiam statuit: quàm Aristoteles, qui in quarta demum classe collocauit.

XXV

DE factò Reguli, quod ultimo loco uocas in disquisitione, non est quod tibi multis uerbis respondeam: cum præsertim parum hoc ad Ciceronem, qui non Reguli sapientiam hoc loco, quamuis maxima fuisse uideatur, sed fidem laudat: neque disputat, quàm sapienter eam legationem suscepit, sed quàm religiosè iusiurandum seruauerit. Tu uerò locum hunc quasi dubium & controversum arripis, & declamatorio quodam dicendi genere factum illud improbas, quod sanè in utranq; partem copiosè tractari potest. Sed desine, quæso, declamatorijs exercitationibus, quoniam domi nobis ista nascuntur, relinquamus hoc exercitationis genus adolescentibus & pueris, quibus utilissimum est hos locos tractare, atque in utranq; partem disputare, ut aliquam sibi dicendi facultatem parent, & Latinam locutionem exerceant. Nos uerò non oratorijs flosculis, sed rationibus pugnemus: non illas dicendi ueneres, non lasciuientè tropis & schematibus elocutionem, in hoc præsertim disputandi genere, sequamur. Sed rem ipsam, quam præ manibus habemus,

mus, diligenter enucleando ueritatem indagemus: Quam enim copiose putas me posse causam hanc tractare, si pandere uelim orationis uela? Sed non faciam: ne id ipsum, quod in te uitupero, committere uidear. Ipsam tantum rem breuissime proponam, & ostendam, à te sine causa factum hoc improbari. Quid ais igitur? damnandum est illud quod tam egregium omnes existimant Reguli factum, qui maluerit ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci, quam iusiurandum uiolare? Sed qua de causa damnandum censes? an quod iurisiurandi religionem maximam esse censuit? Hoc uerò nemo est, quin intelligat, honestissimum esse. An quod reuersus est ad supplicia, cum posset in patria securè uiuere? At si hoc fecisset, periurio uitam suam contaminasset. Non igitur uideo, quid possis reprehendere. Verum illud ostendere conaris, frustra legationem suscepisse Regulum, si ipse præcogitauerat captiuos reddi non debere: fecisseq; contra datæ fidei sacramentum, quod adhortatus sit, ne id fieret, cuius causa legatus aduenerat. Hæc (ut opinor) summa est accusationis tuæ. Quod si nos docuerimus, neq; frustra legationem eum suscepisse, neq; contra fidem datum quicquam fecisse, non erit dubium, quin à Cicerone meritisimò Regulus laudetur: propterea quod etiam captiuus maximum in patriam suam amorem ostenderit, & tamen iurisiurandi religionem obseruauit. Quid igitur est? Cum primo bello punico Carthaginensium res uehementer essent afflictæ, neque Romanorum robori, ac fortitudini diutius resistere possent, necesse fuit illis ad Lacedæmonios confugere, & ab illis auxilium petere, quo impetrato Xanthippus Lacedæmoniorū du-

Etor Carthaginem profectus, non ita multò post Romanorum exercitum, cui consul Attilius Regulus præerat, debellauit, ipsum Consulem cepit, & Carthaginem deduxit. Postea uerò Carthaginienses hac accepta tam insigni uictoria, de pace cum Romanis facienda cogitare ceperunt: sperabant enim Romanos ob acceptam belli nuper offensionem, facile id concessuros: & quò magis populum Romanum ad pacem allicerent, eorum consulem Regulum, quem captiuum habebant, cum legatis suis Romam miserunt. Sed prius cum iureiurando adegerunt, ut si Romani neq; pacem facerent, neq; captiuos redderent, ipse cum legatis iterum Carthaginem reuerteretur. Regulus uerò qui uerebatur, ne Romani pacem acciperent, aut captiuos permutarent, quod utrunque uidebat Romanæ Reipub. perniciosissimum fore, legationem non recusauit, neq; aliud Carthaginensibus promisit, nisi se reuersurum, si nihil à Romanis esset impetratum. Non autem pollicitus est (ut tu fortasse existimas) se daturum operam, ut pax fieret, aut captiui redderentur: quod neque hostes ab eo petiuisse dicuntur: quippe qui crederent illum obnixè omnia facturum quò persuaderet captiuos esse mutandos, ut domi, atq; in patria sua, cum coniuge ac liberis esse posset. Hic à te peto, quid esset factururus uir patriæ amantissimus? an recusaret legationem? At fortasse Romani nescientes quò in statu res Carthaginensium essent, cupidè pacem fecissent, & captiuos reddidissent: quod si esset factum, speciosissimum illum triumphum de Carthaginensibus Quinto Luctatio Consule atque Imperatore populus Romanus non reportasset. Sed interim Carthaginensium uires auctæ maius postea Romanis

manis

manis detrimentum attulissent. Quod cum homo prudentissimus Regulus quasi è specula quadam longè futura proficeret, uoluit ciuibus suis ac Romanis ea prædicere: quod nullo modo facere poterat, nisi Romam profectus esset. Non igitur frustra legationem suscepit, sed ut patriæ consuleret, ut Romanis aperiret quod ignorabant, ut Pœnorum debilitatas iam & fractas uires esse Senatus intelligeret. At non licebat illi sententiam dicere, cum esset capite diminutus. Hoc certè leuissimum est, ac nugatorium. Quid enim si Senatus illi fecit liberam dicendi potestatem, an non poterant eum Romani legibus soluere? At fecit contra fidem datam. Quid ita queso? Quoniam hortatus est, ne id fieret, cuius causa legatus aduenerat. Sed dic mihi, nunquid iuratus est, se Romanis suasurum, ut pacem facerent, aut captiuos permutarent? Atqui nusquam hoc reperitur: non fecit igitur contra iusiurandum. Nam Pœni tanquam exploratum haberent, illum cupide tractaturum de permutandis captiuis, de ea re nihil cum eo diligentius egerant. Quis enim non putasset, hominem Consularem, maximis in Reipub. rebus gestis, exoptatum à ciuibus suis, coniugem & liberos domi habentem, non libenter in patria remansurum, & de permutandis captiuis non cupidissimè tractaturum? At Regulus qui magis patriam, quàm se, quàm coniugem & liberos amabat, maluit eam dicere sententiam, quæ longissimo tempore esset Reipub. profutura, quàm quæ se senem & captiuum parui temporis usura condonaret. At potuisset Reip. uiuens prodesse, quoniam multi senes, ut Appius Cæcus, Cato Censorius, nonnulli alij sententijs suis, quamuis ad bellum non amplius essent
 apti

*apti, tamen Romano populo plurimum profuerunt. Sit
 ita. Sed quid, si uidebat Regulus, ut erat homo prudens,
 nunquam futurum ut tantum Reipub. prodesse posset,
 quantum nocuisset eo tempore, si aliter sententiam dixis-
 set? Crede mihi, quamuis ingeniose multas rationes ex-
 cogitaris: nullam tamen esse, quæ tam egregij facinoris
 gloriam obscurare possit. Est enim eiusmodi, ut ab omni-
 bus meritò laudetur. Neq; uerò fecit hostium causam me-
 liorem, quæ pessima fuit. cum enim potius uirtutem eius
 admirari deberent, & iuuenes suos ad eius imitationem
 hortari, ut patriam ante omnia diligerent, eum
 multis supplicijs affecerunt: & quamuis illi
 uiolatam legationem obiectarent, non
 tamen id iusto iudici probare
 potuissent, cum præsertim
 ille quicquid eis
 erat polli-
 citus
 & iuratus, sanctif-
 simè conser-
 uasset.*

FINIS.



